3.4.522

3 U 4

Digitized by Google

Digitized by Google

DELECTUS
OPUSCULORUM
MEDICORUM

ANTEHAC

IN GERMANIAE DIVERSIS ACADEMIIS

EDITORUM

QUAE

In Auditorum commodum collegit,
& propriis aucta recudi curavit

IOANNES PETRUS FRANK M. D.

Sac. Caeſ. & Reg. Apoſt. Maieſt. a Conſiliis Magiſtratus Politici & Oeconom Mediolan., facultatis Medicae ac Noſocomiorum per Inſubriam Auſtr. Praeſes, Xenodochii Papienſ ad S. Math. moderator, Therapiae Spec. & Cliniees in Ticinenſi Academia Profeſſor P. & O. Academiar. Reg Scientiar. Goetting. Mantuanae, & Elect. Mogunt. tum Societ. Patriot. Mediol. & Medic. Helvet. Sodalis,

---

VOL. XI.

TICINI

EX TYPIS HAEREDUM PETRI GALEATII
PRAESID. REI LITTER. PERMITT.
ANNO MDCCXCII.

BIBLIOTHECAE FLORENTINAE

DE

VERTEBRALIS COLUMNAE IN MORBIS DIGNITATE

ORATIO ACADEMICA.

QUI anatomicis humani corporis diſquiſitionibus in arte medendi minus tribuendum eſſe cenſuerunt, RECTOR MAGNIFICE, PATRES SAPIENTISSIMI, AUDITORES SPECTATISSIMI! illi nauſeoſi laboris contemptum ex eo repetebant: quod Medicina, quamvis ſectione cadaverum non parum profecerit humana induſtria; ex penitiori tamen vel totius, vel partium cognitione non magna ſatis obtinuerit incrementa.

Sed pari, ni fallor, argumento OTAITAE populi, quam beneficae Anglorum naves non ita pridem advexerant, *vitem viniferam* indignabundi eſtirparunt: quod uvam rubello necdum liquore molleſcentem impatienti labro conquaſſaverint. Oportuit ſane, priuſquam humanae machinae ſcalpello innoteſcerent erro-

res, nos animalis ſanitate gaudentis conſtructionem diutius rimari, & cum caeterorum viventium fabrica exactius comparare; neque *pathologicae* iuventus *Anatomiae* fructus decerpere ſinit, quos non prius *Morgagnia* manus diuturno cultu maturaverit.

Atque ob hoc ipſum leges curaverunt PATRES SAPIENTISSIMI! ut in hac florentiſſima INSUBRIAE Academia, cuius VOS decus eſtis atque ornamentum, ſtudii fons triplex anatomici VESTROS COMMILITONES! in uſus ſcaturiret: quorum unus, humani corporis, animantium alter quorumvis compagem, tertius demum, morboſa mortalium viſcera, aegritudinum cauſſas & effectus uberrime interpretaret. Haec ultima certe ſubſidia ſunt, ex quibus abſtruſiſſimorum interdum morborum cognitio ſine magna difficultate hauriri poſſet; niſi haec a multis, infelici in rebus medicis fato, in ſubtilioris ratiocinii potius labyrintho, quam ex ipſius naturae penetralibus, quaereretur.

Nulla vero humani pars corporis in morborum magis praetervidetur ſcrutinio; quam, quae nobilitate a cerebro prima eſt, & principalem morborum fere innumerorum ſedem conſtituit, *ſpinalis medulla*. Haec etenim ce-

rebri bipartiens hominem portio, non niſi unicam encephalo gloriam, quod ſenſibus, ſtomachoque praeſit, mentiſque palatium conſtituat, invidet; caetera vix non ſola regit: imperii animalis centrum inhabitat, & in ſingulas provincias pulpoſo ſceptro Regina dominatur.

Quamvis autem, cum in ſuis adhuc incunabulis medicina iaceret, eandem alimenti vix multum ex anatomicis notionibus traxiſſe ſuſpicemur; mirum tamen eſt, & intellectum fere ſuperat, quantum divini Viri HIPPOCRATIS, aut qui demum *libri de articulis* auctor fuerit, in has ipſas penetraverit perſpicacia. Sed cum praecipua eiuſdem effata in alios nunc mihi locos reſervem; non poſſum, quin mox tum GALENI, tum ALEXANDRI TRALLIANI verba adducam. „ Cum „ ex anatome didiceris, inquit ille, nervos, „ qui per faciei partes ſparſi ſunt, a *cerebro* „ dimitti: ſi earum aliqua ſimul cum toto „ corpore ſoluta eſt; haud quaquam vos late„ re debet, *reſolutionis* diſpoſitionem in ipſo „ *cerebro* conſiſtere; ubi vero illaeſae perman„ ſerint: *ſpinalis medullae* initium affici „ ſciendum eſt (*) “.

(*) De locis affectis Cap. X.

Digitized by Google

Alter vero, „ attendito, inquit, diligenter, quae ſic pars affecta, & unde initium trahat, aut a qua vertebra id, aut a quo nervo incipiat; atque illi curationem adhibeto; non autem ut vulgus ſymptomatibus tantum obſiſto. Itaque *reſolutas* partes ſic internoſcere convenit, animum *ſcientiae anatomicae* advertendo. Quodſi ex ſuperioribus partibus quaedam affectae fuerint, nempe oculus, aut naſus, aut lingua, aut quaedam in facie: conſtet ipſum *cerebrum* morbo eſſe implicitum, eique primario ſuccurrendum eſſe; ſi vero nulla ex praedictis partibus ſenſu, aut motu, aut utroque laeſa fuerit: neceſſe fore ut *ſpinalis medulla* aegrotet, aut aliquis nervorum, ex ipſa procedentium, affectus ſit (*) “.

In eo quidem ALEXANDER TRALLIANUS, quod ex partium ſuperiorum, faciei ſcilicet, reſolutione, ad ipſius *cerebri* affectionem concluſerit, manifeſte ſatis hallucinatus eſt; cum GALENUS, „ ſi earum aliqua *ſimul cum toto corpore* ſoluta eſt “; cerebrum accuſandum eſſe, prudenter docuerit.

(*) De Arte medica Lib. I. Cap. XVI.

Nam quoties non ex ſolo abdominis fonte, ex vermium irritatione, aliiſque demum a cauſſis, in cerebro nequaquam latentibus, faciei, oculorum muſculi retrahuntur, rigent, convelluntur; pupilla dilatatur; amittitur viſus, pruriuntque naſes; odoratus pervertitur (*); tinniunt, ſurdeſcuntque aures; lingua balbutit (**); labeſcit, deleturque guſtus; labia tremunt; ſtringuntur fauces; vox ipſa ſupprimitur? ... Sed pro tanta veterum in re anatomica imperfectione, fateamur AUDITORES! eoſdem de tam occulta morborum origine viriliter, & non ſine magna ingenii acie, iudicaſſe.

Utinam vero recentiores, quo felicius humanae myſteria fabricae perſpexerunt: eo maiorem in eruendis morborum ſedibus perſpicaciam prodidiſſent! ſed ita eſt, COMMILITONES! qui cadavera, hunc in finem, perluſtrant Medici: illi vix unquam aut otio, aut ſubtilioris anatomes notionibus ſatis inſtructi hoc opus ſuſcipiunt; & qui maiorem vitae

(*) Diſcurſus Acad. de circumſcribendis morborum hiſtoriis. Delectus Opuſc. Vol. X.
(**) Loc. cit.

partem ſectionibus impendunt: illi utplurimum aegrotantis phaenomena machinae ipſimet intueri impediuntur, & ſcalpellum practico vix unquam oculo conducunt. *Spinalis* vero *columnae*, eruendae morborum ſedis gratia, tam raro aſſumitur inveſtigatio, ut, vel ob difficultatem laboris, vel ob non ponderatam ſatis materiae dignitatem haec ipſa negligatur, practicorum in libris de *medullae ſpinalis* poſt mortem conditione, pauciſſima occurrat notitia, utque uberrimi in aliis MORGAGNII, atque LIEUTAUDII fontes pathologici ſitientibus parum hic offerant; caeteri vix non omnes areſcant.

Atqui, cum innumerae cauſſae, tum externae, tum internae exiſtant, quas ſpinam vehementiſſimis cruciatibus, & diris inflammationibus mulctare conſpicimus: mirum VOBIS omnino videbitur AUDITORES! nec nomen quidem in medicina haberi, quo partis tam late extenſae, tamque ſenſibilis, affectiones deſignari valeant & ab aliis tuto diſtingui. RACHIALGIAE tam aptum ad exprimendos ſpinae dolores nomen, primum ab ASTRUCIO (*), dein ab ipſo SAUVAGESIO ad *colicam*

(*) Quaeſtio medica, an morbo colicae Pictonum, rectius *rachialgia* dicto, venaeſectio? 1750.

ſaturninam, inepte, quod iam LUDWIGIUS reprehendit (*), translatum eſt. *Rachitis*, quae vertebralis columnae inflammationem tam adaequate exprimeret, *oſſium*, de inflammatione ne hilum quidem participantem affectum ſignificat; & cum in explicandis *phrenitidis*, rarioris morbi, phaenomenis inſudant ſcholae: eaedem de ſpinalis medullae, aut thecae vertebralis inflammationibus, ſi pauca, quae de lumbagine referuntur, excipiam, altiſſimum ſilentium obſervant. Ipſum *ſpinae bifidae* nomen, cum neonatis, quorum potiſſime morbum conſtituit, ſpinoſa necdum conceſſa ſit apophyſis, non minus a natura abludit; nec *tabis*, quam *dorſalem* appellant, ſuccincta habetur diviſio; nec *typhoſis* a carie vertebrarum, quae crurum paralyſin inducit, a ſpinae per rachitidem emollitae retroflexione vel gibbere, fuit diſtincta.

Non ſine cauſſa igitur COMMILITONES! ut VOS circa columnae vertebralis in morbis dignitatem attentos redderem, hanc mihi pro hodiernae orationis argumento materiam elegi: quam, ſi ob ſuam amplitudinem

(*) Adverſaria Medico-Pract. Vol. I. Par. IV. tract. de doloribus ad ſpinam dorſi pag. 724.

Digitized by Google

profundius examinare, temporis mihi non concedat penuria: ſufficiet interim rei tam magnae diſcuſſionem extremis ſaltem lineis, quod breviter tentabo, circumſcripſiſſe.

In ea ſemper opinione verſatus ſum PATRES SAPIENTISSIMI! quamcunque ſpinalis columnae vertebram pro *parvo*, eodemque tranſverſo, *cranio* eſſe conſiderandam: quod adinſtar maioris, & in perpendiculum ſequentibus vertebris ſuperimpoſitae calvariae, determinatis corporis regionibus proſpiciens, cerebellum amplectatur ſuum: & in quo *cerebello ſpinali* iidem prorſus morbi, ac in ipſo maiori cerebro naſcantur: quod ſcilicet extrema, & ex omnibus maxime conſpicua, mobiliſſimaque vertebra, quam *calvariam* appellamus, cuſtoditum, primatum a natura obtinuit. Quo propius caetera ab hac ipſa diſtant; eo nobilior eſt caudati cerebri indoles, eoque certior &, nota nimis infanticidis, momentanea violentiae lethalitas.

Quemadmodum vero capitis ad caetera moles in foetu, quo conceptioni vicinior eſt, eo maior & ipſa conſpicitur: ſic & columna vertebralis, eadem fere proportione, aliis praecedit, primiſque ab ortu menſibus vix non ſola calvariam, ipſumque homuncionem con-

tinuat. Prima futuri in ovo incubato pulli rudimenta in vertebrarum gelatinoſa adhuc columna, ſive *carina* conſpiciuntur (*). Atque dum in adulto quidem homine ſpina dorſalis ad lumbos craſſeſcit, conumque offert, cuius baſis oſſi ſacro innititur; contrarium in foetu obſervatur: atque tum rectior eidem columnae inſidet; tum ad cervicem, quam ad lumbos manifeſte craſſior, ſi, qua parte ſpinae *futurae* ſunt, attentius conſideretur.

Sed in hoc vertebralis columnae a cranio, non exigua conſiſtit diverſitas: quod, cum iſtud a partu, qua parte oſſa imperfectius cohaerebant, coaleſcat quidem, lentiuſque volumine augeatur; illa, tot articulis diviſa, mediiſque cartilaginibus interſecta columna, qua nempe ratione hae ipſae in anguſtius ſpatium comprimuntur, & vertebrarum inter ſe diſtantias imminuunt, quamvis non omni, potiſſimo tamen indies deſtituatur incremento. Haec ſpinae vertebralis ſoliditas, licet ante *decimum* aetati annum corpora vertebrarum adhuc in molli cartilagine haereant, & non niſi inter *octavum* & *decimum* fere ita concreſcant, ut corpus cum annulo & apophyſi-

(*) MALPIGHI, de forma pulli in ovo. Fig. 5.

bus inde coaleſcat, & *ſpinoſae* potiſſimum producantur (*); nihilominus tum a muſculorum eidem annexorum, tum a ſitus ratione, quem corpus infantile per thoraces, veſtimenta, ob labores, aſſumere cogitur, tum denique ob ligamentorum vertebralium morbos varios, determinari conſuevit: exemplo plebis laborioſae, quae ponderibus capite a iuventute aſſueta, rectiſſima forma incedit; aut, quae in fodienda dura humo potiſſimum occupata, incurvo corpore ſenilem ingreſſum aemulatur (**). Ex praematura vertebrarum oſſificatione derivari multorum, truncum corporis inter & extremitates, ſingularem in longitudine diſcrepantiam: ut ſedentem ſaepe pro *nano* habuerim, qui, cruribus ad umbilicum quaſi fiſſis, inſiſtens, ſi ~~extremitatum~~ extenſioni & illa trunci correſpondiſſet; gigantea corporis proceritate oculos feriiſſet. Ex lentiori autem verticulorum in oſſeam compagem tranſitu, ſediculo inhaerentium multorum altitudinem miramur, qui pendentibus a ſedili tibiis vix innituntur: cum anatario ingreſſu vacillant, natibuſque tellurem metiri videntur.

(*) LUDWIG, de diſtorta ſpina dorſi. Adverſar. Med. pract. Vol. II. Par. II. pag. 332.
(**) Medicinische Policey. II. Band.

Atqui haec tam frequens ſpinae a rectiori corporis ſymmetria aberratio, quemadmodum generalem ſtaturae elegantiam non parum pervertit: ſic cauſſas iuvenile quondam corporis incrementum aut retardantes, aut praecipitantes omnino patefacit: quas inter, quae *mollitiem oſſium* aetate maiorem ſuſtentant, vel adaugent, morbumque ſic dictum *anglicum* conſtituunt, potiſſimum dominare videntur; multaque ſic morborum genera ex perpeſſa quondam *rachitide*, quae oſſa non ſemper emollit, ſed & friabilia reddidiſſe viſa eſt certiſque in punctis duriora (*), & ex cauſſis eiuſdem morbi per vitam ſaepe nullo labore eradicandis derivanda, vel ex ſola ſpinae inſpectione poſſunt facilius diiudicari.

Ipſum iam capitis, corporiſque a vertebris ſuffulti pondus, ſpinam, quod omnibus notum eſt, notabili ſatis ratione longitudine ad noctem imminuit: cuius tamen cartilagines, donec ſenilis impediat rigiditas, elatere, quo pollent, reſiliunt, priſtinamque iacenti trunco

(*) ROSENSTEIN, Von Kinderkrankheiten. pag. 587. MAYOWIUS in ſepulchreto Lib. II. S. 12. in fine. Oſſa in rachitide *friabilia* adnotat OETINGER, Diſſ. de viribus rubiae tinctorum antirachiticis pag. 49.

dimenſionem reſtituunt. Hoc vero diurno, nocturnoque in opere, & ipſam *ſpinalem medullam*, cui dura mater tam arcte, ac ipſi quidem cerebro, nequaquam appoſita, nec ullo in loco immerſa eſt, quodammodo periodice decurtari, relaxari, demumque extendi, vel ſaltem nervorum lateraliter ex eadem prodeuntium directiones certo, ſed hucuſque ignoto, in ipſum hominem influxu, immutari oportet.

Mirabilis autem eſt cerebri, in ipſo cranio tam immobilis, tamque anxie cuſtoditi, & nequid aut profundius reclinaret, aut faciei ſenſuumque nervos tenderet, aut cerebellum comprimeret, a tentorio ſolidiſſime ſuſtentati, dum vertebralem in ſpecum immerſum eſt, in quamcunque corporis partem *flexibilitas* & promptitudo plane ſingularis. Haec in animalibus, quibus plurimas natura vertebras indulſit, exemplo *anguillae* atque *ſerpentum*, quae ditiſſima vertebris animantia, in plures ſaepe & concentricos circulos contorquentur, ſumma eſſe obſervatur; ſed in ipſo adeo iuniori aetate homine tam facilis eſt: ut hiſtriones, capite cum ſpina retroflexo, illud ipſum anteriora verſus cruribus committere, ſat celeri inflexione impune ſuſcipiant; atque in terri-

bili morbo, *Opiſthotono*, caput adulti adeo viri ad calcaneum, per horas interdum, violenter reclinetur.

Quamvis vero inſtitutam pedetentim tardamque columnae vertebralis extenſionem ſine maiori corporis turba perferri ab adoleſcentulis obſervemus; ſi tamen vel ſub hac ipſa diſtractione, violentia quaevis alia, aut concuſſio ſimul accedat, vel cum impetu vertebrarum articuli divellantur; non raro fatalis in latentem hac in ſpecu medullam effectus conſequitur. Licet enim ob proceſſuum, ligamentorum, muſculorumque artificioſam prorſus diſpoſitionem, luxatio vertebrarum repentina & perfecta, ſine totius oſſeae compagis fractura, vix unquam contingat; non tamen minor ideo violentiae in ſpinalem medullam vis eſſe conſuevit. Felis capite, crudeli puerorum luſu, celeri concuſſione a cauda in adverſam partem retracto, tenaciſſimae vitae animali internecio infertur. Infelix rudiorum hominum hinc inde viſus eſt locus: quo puerorum caput (quod *avum oſtendere* vocant) ambabus manibus ad aures prehenſum, cum pendente ex eodem corpore, in auram tollunt. Quam ſaepe non ipſum vivi caput foetus ſub partu a cervice abruptum, inque materno ſinu

relictum fuit: cum, vel ore uteri circa naſcentis collum conſtricto, vel ob aliud quodcunque obſtaculum, audaces obſtetricantium manus, ut puerum genitricis ab alveo pendulum violenter protraherent, induxit? ut & praevio foetus capite, cum ob aſcitem venter ſequi recuſaret, colli vertebras per temulentam mulierem a trunco haerente ſub cute adhuc integra ſeparatas alibi iam deſcripſerim (*); utque dubium ſupereſſe nullum poſſit, ſub tam frequenti, & a tam rudi obſtetricantium manu ſuſcepto ſaepe *verſionis* negotio, praeſertim cum infantis crura ſuper dorſo retrahenda eſſe autumant; non raro vertebras, ex tribus in foetu oſſiculis infirma cartilagine coagmentatas, aut findi, aut ex ligamentorum diſtractione, effuſiſque in cavum ſpinale humoribus, lethalem pati violentiam debere. Iam viginti tribus abhinc annis, *Thermarum Badenſium* tunc medicus, puellulam fere triennem, cum vix a longa febre convaluiſſet, cachecticam, repentina morte abreptam, cum violentiae ſuſpicio ſubeſſet, *legali* ſectioni ſubieci. Illam excandeſcens furore vitricus prehenſam humeris erectamque ſuper lectum plumis refertum, ve-

---

(*) Delectus Opuſcul. Vol. VI. pag. 105.

hementi conatu, tantoque cum impetu proſtraverat, ut non modo hepar duobus in locis cum inſigni haemorrhagia diſruptum; ſed & tres lateris dextri coſtulas, ſine conſpicuo exterius ſigno, in medio fiſſas, & ad tertiam colli vertebram *diaſtaſin*, aut ſemiluxationem cum humore ſanguinolento, muſculorum cervicalium interſtitiis extravaſato, detexerim. Neque deſunt apud adultos, vertebrarum, vi ſumma diſtractarum, exempla; quorum tria LUDWIGIUS adducit; unum, in quo vertebra *ſecunda* a *prima* tantum receſſit, ut diſtantes hae vertebrae digitum interpoſitum admitterent; alterum, ubi *tertia* a *quarta* vertebra trium linearum diſtantiam offerebat; tertium demum, ubi *prima* vertebra ab occipite adeo remota ſiſtebatur: ut digitus hiatui immitti potuiſſet (*). Qui maiora pondera proclinato corpore cum impetu humeris imponunt, illi, quod duo nobis in *Clinico Ticinenſi* exempla confirmarunt, diriſſimis interdum poenis & ipſa morte nonnunquam ple-

(*) Adverſ. Med. pract. Vol. II. Par. II. De luxatione vertebrarum colli a medico forenſi circumſpecte diſquirenda.

ſtuatur. Horrendum hac ex cauſſa tetanum in viro baiulo conſpeximus, quem, cum largiſſima opii doſi ſanaſſe videbamur; enorme iterum dorſo ſublatum pondus in priſtinas miſerias, cum lethali poſt brevem moram eventu coniecit. Alter, cuius ſuccinctam in aliud mihi tempus reſervo hiſtoriam, cum magnum ex terra in muli tergum pondus elevare, cum inſigni contenſione ſpinae conaretur: non modo trium coſtarum fracturam prope ſuam cum hac ipſa articulationem, perpeſſus eſt; ſed poſt ſeviſſimos ad has partes cruciatus, duoſque praegrandes tumores, crurum atque veſicae *pareſi*. vagi, pulmoniſque inſigni ſuppuratione, ſub enormi vomitu, enectus fuit; in ipſa tamen lumbalium vertebrarum ſpecu nec minimum, quod medullam ibidem comprimeret, detegebatur; quo certe exemplo comparet: quod ganglia, quae ad utrumque ſpinae latus cum intercoſtali nervo ſiſtuntur, interdum faciant, ut plura viſcerum incommoda poſſint aeque medullae ſpinali, quam intercoſtali nervo adſcribi.

Quos vero *ankiloſis* ac oſſea vertebrarum coalitio, aliquibus animalibus, ut equo, vel mulo, quam homini frequentior, in hunc ipſum effectus edat; & quae tandem ex ſpinae

rigiditate potiſſime naſcantur mala: haec, ſi totius ſtaturae decrementum, maiorem columnae vertebralis incurvationem, ac denegatae mobilitatis incommoda excipiamus, ſat parum innoteſcunt; interim feminam *Bruchſalienſem* obſervavi, quae, cum per plurimos annos, rigidiſſima ſpina, tam incurvo corpore incederet, ut truncus cum cruribus fere rectum conſtitueret angulum: ſub ultimis miſerrimae vitae annis, baculo licet ſuffulta, ſub quovis ingreſſu, ex uno in alterum latus convulſivo quaſi muſculorum motu trahebatur; crura vix loco movendi potentia inſtructa, vacillans, totoque corpore tremens ac labefacta, perpetua ſalivatione madens, & ſtupida praetereuntium animos commiſeratione implebat. Licet igitur decrepitae aetatis aerumnas ex variis in collabente machina erroribus derivandas eſſe, & ego facile conceſſerim; dubium tamen ſupereſſe mihi non poteſt, quin pars maxima illarum, non tam ex vaſorum occluſione, ex ſolidorum mollium adaucta cordi reſiſtentia, fluidorumque vitio; quam ex ipſius *medullae ſpinalis*, & nervorum, qui ex eadem proficiſcuntur, impedimento, originem ſumat. Hinc certe debilitas, vacillatio, tremor, macies ſumma, artuumque atrophia, — hinc vix

non extincta partium ſenſibilitas & calor, — hinc extremitatum inferiorum marmoreum frigus, gangraena ſicca, — hinc varia digeſtionis incommoda, & tuſſes frequentiores, & conſtans fere diſpnoea ſcaturiunt; & hinc denique obſtructio alvi pertinax, & veſicae tam communis ſenibus in retinendo lotio impotentia derivanda eſt.

Sed quemadmodum oſſa non aliis certe, quam caetera ſolida, morbis laborare obſervantur: ſi & fabrefacta tot ex oſſiculis columna ſpinalis ab iiſdem immunis non exiſtit. Nulla tam infenſa oſſibus eſt materia; quam quae in rachitide ac ſcrophulis, in ſyphilide atque in ſcorbuto, ac demum in rheumatica arthriticaque affectione praeparatur: atque ex his demum fontibus quamplurima in vertebralem columnam eiuſque nervoſam medullam propullulant mala: quae inter, verticulorum ſpongioſa, luxurianſque intumeſcentia, compagis oſſeae caries, & ligamentorum articularium inflammatio, ſuppuratio, degeneratio, quae *cyphoſin* efficiunt, vel oſſeae ſubſtantiae in ceream mollitiem mutatio & ſingularis incurvatio, quae rachitidem conſtituit, potiſſima obſervantur. Ipſam adeo *ſpinam*, quam dicimus *bifidam*, ex mala oſſium conformatione

derivandam eſſe, acutiſſimi vir ingenii, IL-LUSTRIS, amiciſſimusque MURRAYUS cenſuit (*); fatendumque eſt, tam ipſum *hydrocephalum*, quam *rachitidem*, certis interdum fere proprium familiis obſervari, matresque puerorum praedicto ſpinae vitio laborantium, non raro ex acri aut venereo, aut ſcrophuloſo, aut demum alio, videri affectas. *De rachitide adultorum*, hoc ipſo in loco, paucos ante annos, differui (**); & plura mihi ab eo tempore occurrerunt eiuſdem exempla. Sed quod certe rariſſimum eſſe affirmari poteſt, & ab unico tantum, quod ſciam, obſervatore adnotatum: ut ſcilicet in virgine hectica viginti annorum, inter ſcapulas, — & in femina quinquaginta annorum, in fine oſſis ſacri, ex pondere maiori nixu elevato, *ſpina bifida* conſpecta ſit (***); hoc, quemadmodum alibi (****) a me indicatum iam eſt, ſed

(*) Spinae bifidae ex mala oſſium conformatione initia. Goetting. 1779. recuſ. in opuſc. Vol. II. pag. 193.

(**) Delectus Opuſc. Vol. V. pag. 304.

(***) HOECHSTETTER, Diſſ. de ſpina bifida. In collect. HALLERI Diſſ. pract. T. VII. P. I. pag. 491.

(****) Delectus Opuſcul. med. Vol. II. pag. 13. in not.

quod, ob dignitatem rei, ſuo hic loco inſerendum videtur, in archiatro *Badenſi*, amiciſſimo quondam BUCHIO, contigit. Hic enim Vir doctiſſimus, iam *quinquagenarius*, poſtquam in maniam miſerrime incidiſſet, tranſactis pluribus ſub delirio menſibus, fatuus, ſtupiduſque reddebatur. Cum vero, morbo in mortem properante, ad aegrotum vocatus acceſſiſſem: eundem rerum pene omnium, non tamen amici, ignarum, manibus trementem & cruribus fere paralyticum inveni. Non haeſitavi, maniam, quae praeceſſerat, praeſentemque fatuitatem a ſeroſa ad cerebrum colluvie, & ex eiuſdem in ſpinae cavum delapſu, tremores, paralyſin deducere; ſed de quo tunc minime quidem cogitavi, & quod Cl. SCHWEIKARDUS, *Carolſruhae* urbis & nunc Medicus expertiſſimus, datis ad me literis communicavit, eſt *ſpina bifida* in adulto hoc ſubiecto, praeter omnem medentium exſpectationem, detecta. Neque inficias iverim; interdum ad libras collectae in calvaria aquae copiam, dum in tenero infante ad ſpecum vertebralem ſibi viam paraverit, — vel ex hac ipſa ad cranium, ex *hydrorachitide hydrocephalum* conſectura, aſcenderit, ob inſignem fluidorum columnae, tam altae, po-

tentiam, ipſius ſpecus oſſeae dilatationem poſſe interdum, quo loco neonatorum vertebris ſpinae deſunt, & tenera earundem oſſicula conglutinat cartilago, *ſpinae bifidae*, & *herniae* medullae ſpinalis cauſſam exiſtere.

Subinde vero tum huiuſce morbi, tum cyphoſis ſymptomata, *ſine* ipſo ad vertebralem columnam *tumore externo* obſervari videntur: quod quinque abhinc annis in puerulo *Ticinenſi*, ultra biennium nato, in caeteris ſaniſſimo, nec ulli unquam externae violentiae, ſed ſoli expulſionis cutaneae retroceſſioni expoſito ſubiecto ſuſpicabar: cum eundem, craſſum, pinguemve, pavimento a matre impoſitum, ſolis brachiis repentem, reliquum vero trunci, & crura, miſerando ſpectaculo poſt ſe trahentem, dolens conſpexiſſem. Quare non ſine ratione celeberrimus POTTIUS, in *externis* principium Cyphoſis tardius comparere, primum vero ad *interna* ſtragem ſuam parare advertit (*).

Toties vero ſpinalis columna, in puerili inprimis corpore, ex fonte rachitico, a debita figura abludit, & contorquetur: ut mirum

(*) Kleine Med. Chir. Abhandl. aus verſchiedn. Sprachen. I. Th.

eſſe dicatis AUDITORES! in tam multis gibboſis, & ſpina deformibus ſubiectis, medullam, quam haec ambit, non ſaepius offendi; nam, ut cum HIPPOCRATE loquar: „ multi ſane iam facili ac ſano modo gibboſitatem ſuſtinuerunt uſque ad ſenectutem; & „ maxime hi, quibus ad carnoſitatem ac pin„ guitudinem promptum fuerit corpus (*) “. Interim, quod experientia hucuſque confirmavit, & idem divinus Senex edixit: „ pauci „ talium ſexaginta annos tranſgreſſi; plerique „ vero brevioris vitae obſervantur (**) “. Fateor, me gibboſi multum hominis, qui craſſus pinguiſque ſimul fuiſſet, ſi puerulos fortaſſis excipiam, vix poſſe recordari; ſed ſpecioſior iterum COI eſt obſervatio: „ quibus quidem „ gibba fit ſpina, dum pueri ſunt; priuſquam „ corpus ad augmentum plenum perfectum „ fuerit: his corpus *iuxta ſpinam* coaugeri „ non ſolet; ſed crura quidem, ac manus „ perficiuntur; illae vero partes defectuoſiores „ fiunt (***) “. Hoc autem tam communis morbi phenomenon ex muſculorum non modo in aegrotante parte inertia, qua toroſitatem

(*) Lib. de Articulis.
(**) Loc. cit. (***) Loc. cit.

carnes ſuam amittunt, temporiſque tractu contabeſcunt; ſed, cum hoc ipſum effectus potius, quam cauſſa morbi eſſe queat; ex nervorum magis, quos muſculis vicinis ſpina largitur, nunc compreſſione, nunc tenſione, aut maceratione, atque ex impedita tum carnium, tum ipſius contextus cutanei nutritione, non difficulter explicatur.

Nec tamen in hac ſpinalium muſculorum atrophia, gibboſi, aut cyphoſi laborantis miſeriae hominis conquieſcunt; ſed pro varia ſede, & pro numero vertebrarum, quae naturalem ſitum, habitumque mutaverunt, incommoda differre obſervamus. Quod vero mentem non ſine fundamento admiratione percellit, eſt: quod non quaevis ſpinae morboſa, & ex offium mollitie, aut ex rachitide procedens incurvatio, licet admodum conſpicua, paralyſin producat, quam exiguus ad illam tumor ex acri, vel rheumatico, vel ſcrophuloſo, vel demum alio (*), vix tamen *ſpecifico*, oriundus, non infrequenter progenerat; &

(*) Neque a Scrophulis oriri Cyphoſin, neque cariem *ordinariam* ſiſtere, opiniatur Cl. PALLETTA. Adverſaria Chirurgica prima pag. 206. 207. 208.

quod, etiamſi exorta abhinc Cyphoſis ſupremas colli vertebras obſideat; non tamen brachiorum facile, ſed *crurum* paralyſis inſequatur. Interim & *ſuperiores* artus non infrequenter affectos ſe vidiſſe, licet Cyphoſis tales ſpinae partes occuparet, quae ſat profunde *infra* originem plexus axillaris haererent, teſtatur JEBBIUS (*).

De *angina* ex colli vertebrae ad intus luxatione, quam ſolus HIPPOCRATES deſcripſit; caeteri, niſi repente lethalem, ut impoſſibilem, reiiciunt, alibi ſermonem inſtitui (**); quodſi vero contra tam magni obſervatoris tam claram, tamque diſtinctam morbi, epidemice adeo regnantis deſcriptionem theoreticis, aut ex violenta cervicis, ſemper certe lethali, laeſione deſumptis argumentis pugnare quodammodo liceat; fatendum tamen eſt AUDITORES! ſymptomatum, quae ab HIPPOCRATE referuntur, cum recentiorum de nervis cervicalibus doctrina perbelle conſentire, dicente. „ ſed & iuxta magnum

(*) JEBB, über die Laehmung der unteren Gliedmaſen. Neue Samml. fur Wundärzte. 10. St.

(**) De rachitide adultorum. Delect. Opuſc. Vol. V. pag. 304.

„ verticulum cerviceм repandam habere co-
„ guntur, ut ne caput ipſis cernuum ſit ?.
„ Multam igitur angu liam faucibus exhibet
„ etiam hoc os *introvergens*. Nam & his, qui
„ natura recti ſunt, ſpirandi difficultatem hoc
„ os inducit, ſi introvergat, donec repreſſum
„ fuerit. Ob talem igitur figuram eiuſmodi
„ homines eminentis gutturis magis, quam
„ ſani, apparent, & *tuberculis circa pulmonem*
„ ac crudis plerumque tales affecti ſunt (*) ".

Ex ipſa igitur cervicalis ſpinae ſubluxatione, tot dubiis hu uſque ſubiecta, HIPPOCRATES *pulmonum tubercula* derivavit; neque MERCURIALIS, qui ex his ipſis vertebrarum diſiunctionem explicuit, Medicinae Parentis opinionem attigiſſe videtur. Etiamſi vero *communem* Cyphoſis illius, quae cum extremitatum paralyſi incedit, originem nequidem ex tuberculis cum ſpina ipſa connatis derivaverim; nollem tamen glandularum infarctus, in chronicas inflammationes, lentaſque ſuppurationes tam pronos, totieſque articulis, oſſibuſque vicinis inſidioſos, pro inſontibus ſemper declarare, & cauſſarum *ſubluxationis*, ipſiuſque Cyphoſis catalogo omnimode exclu-

---

(*) Loc. cit.

dere. Quam vero in puellae cervice, ad *ſeptimam* colli vertebram, poſt horrendam *gaſtrodyniam* obſervavit PRIVATIUS, & ex validis vomendi conatibus derivavit SAUVAGESIUS (*); hanc certe, ſi virginis, paraplegia in duos menſes protracta tandem enectae cadaver inſpexiſſet: ex ipſis, ni fallor, vertebrarum corporibus, *interna* violentia diſiunctis, quam ex ſtomacho inepte repetiiſſet.

Frequentior, quam alibi, ad *dorſum* ſpina incurvari, & cyphoſi laborare, — ipſa vero hydrorachitis, licet ad *nucham* quoque, & ad *dorſum*, & interdum in duobus, diſtinctiſque locis oriatur (**); ad *lumbos* tamen frequentius occurrit; quemadmodum nec deſunt vertebralis columnae per totam longitudinem fiſſae non pauca exempla (***). Vix unum gibboſum, qui vel a motu leviori, vel a paſtu, cum difficul-

---

(*) Noſologiae method. P. II. p. 137.

(**) PETR. CAMPER, Mém. de la Societé R. de Méd. année 1784. 85. p. 61. 2.

(***) BIDLOUS, Exercit. Anat. Chir. Dec. 2. p. 191. Tab. 3. 4. HOIN, Mém. de l'Acad. de Dijon Vol. II., & Illi. quondam Collega IOSEPHUS NESSI, Inſtit. di Chirurgia P. I. §. 574. Vertebrae omnes colli, & totidem ex thoracis vertebris, *bifidae* apud RUISCHIUM, Theſ. Anat. num. 8.

tate non reſpiraret, obſervavi, & in permultis ſingularem vocis ſonum diſtinxi. Hinc iterum HIPPOCRATIS tum prima, tum optima ſymptomatum deſcriptio eſt, dicentis: „ Quibus *ſupra* ſeptum tranſverſum gibboſitas eſt, „ his & coſtae in amplitudinem augeri non „ ſolent; ſed in anteriorem partem, & pectus „ acutum fit, ſed non latum: ipſique & difficulter ſpirant, & ſtridulam faucium aſperitatem habent (*) “. Maior certe ſi *dorſales* vertebras occupaverit cyphoſis, tum pulmonum, tum ipſius thoracis, & viſcerum abdominalium affectio obſervatur: cuius, ex nervorum tum ſpinalium, tum intercoſtalium, & ſplanchnicorum origine, facilis eſt explicatio (**); cum, ſi profundior ſit ſpinalis columnae laeſio, alia longe, ſed iterum notata HIPPOCRATI ſymptomata offerantur: „ Quibus vero infra ſeptum tranſverſum gibboſitas eſt, horum quibuſdam morbi *renum*, ac *veſicae* accedunt. „ Sed & *abſceſſus* ad ſuppurationem, & circa „ laterum mollitudines, & inguina diuturni,

(*) Loc. cit.

(**) Vid. eximium opus Ill. Collegae & amici ANT. SCARPA, Anatomicarum annotat. I. I. & Cl. PALLETTA l. c. pag. 195. LUDWIG, l. c. Vol. I. P. V. pag. 323.

„ ac aegre curabiles, & neutri horum gibboſi-
„ tates ſolvunt. Coxae vero his magis excar-
„ nes fiunt, quam quibus *ſuperne* gibboſitas
„ contingit. Univerſa tamen ſpina his longior
„ eſt, quam ſuperne gibbis. Pubes vero &
„ barba tardior, ac imperfectior., Sed & in-
„ fecundiores hi ſunt, quam ſuperne gib-
„ boſi (*) ". *Clinicum Ticinenſe*, elapſo vix anno, adivit triginta trium annorum femina, cuius memorabilem hiſtoriam alio quondam in loco exponam: haec, a ſcabie cum unguentis perſanata, pedum correpta eſt ulcere. Vix ichoris ex iſto fluxus imminuebatur: cum tuſſis, diſpnoea, pectoriſque oppreſſio, ſub labore & moeſtitia maior; & ſputa interdum cruore remixta comparerent. Clauditur in totum nunc ulcus, & deſcripta diſparent ſymptomata, ut dirioribus locum concederent. Dolores nempe vagi & punctorii, nunc thoracis compagem, nunc ſcapulas, & ſiniſtri lateris coſtas adoriuntur, ſpiritumque praepediunt. Poſt menſis ſpatium ad ſpurias eiuſdem lateris coſtas, prope ultimas dorſi vertebras, cruciatus fixantur, & inſigniter furiunt. Nunc primum tumor durus & indolens ad ovi magnitudinem

(*) Loc. cit.

in eodem ſpinae loco comparet. Pectoris affectio poſt triginta dies fere diſſipatur; ſed atrox nunc ſpinam excruciat dolor, qui per lumbos deſcendens, vertebramque a vertebra aegrotanti divellere viſus, omnem flectendi trunci adimit potentiam. Octavae tunc & nonae dorſi vertebrae ſpina in conſpicuam elevatur prominentiam, & dolores ſpinam deſerentes, lumborum mollitudines & ilia invadunt. Tunc vero ex ipſa lumbali ſpina tumor alter, fere indolens, exſurgit, & utroque expanditur latere. Ac nunc tandem pedes frigeſcere, ſub ingreſſu vacillare, & vix reſiſtere, mox vero ſubſidium omne ſuum corpori recuſare, nec tamen ſenſum amittere, inceperunt. Mingendi ſumma his iungitur difficultas, lotiumque cum ardore guttatim deſtillat; tandemque ſupprimitur totum. Atqui haec praecipuorum in tam funeſto morbo ſymptomatum hiſtoria, HIPPOCRATICAE veritatem doctrinae abunde confirmat; nec ab illis fere haec differunt, quae tum a lapſu in lumbos deſcripſi (*), tum a variis ſuper ſpinam factis depoſitionibus, hinc inde obſervavi.

(*) Delectus Opuſc. Vol. VI. pag. 39. ſub fin.

Nec minor in *ſpinalem medullam*, quam ipſum in *cerebrum*, fortioris *concuſſionis* vis eſſe conſuevit: ut vel haec ſola, & quin aut humorum effuſio, aut manifeſta pulpoſae ſubſtantiae laeſio accedat, ſubiectarum partium reſolutionem, vel & gangraenam, interdum inducere valeat. Sic proprius ex fratre nepos, cum, in *Mediolanenſi* Noſocomio, quatuor virorum, ex altiori arbore in ſpinam delapſorum, & mox crurum paralyſi affectorum, cadavera diligenter, perluſtraſſet: in cavo ſpinali, nec liquidi effuſi, nec inflammationis, nec ullius laeſionis veſtigium detexit; neque alia medicorum in faſtis exempla deſunt, quae fortioris ad ertebralem columnam *concuſſionis* noxas fere eaſdem, quam quae ex cerebro, conſimili ratione labefactato, oriuntur, abunde demonſtrent. Quare iterum HIPPOCRATES, „ multo plures, inquit, & cruribus, „ & manibus impotentes fiunt, & corpore torpeſcunt, & urinae his ſupprimuntur, quibus gibboſitas quidem neque extra, neque „ intro exſtiterit; verum in rectitudinem ſpinae *vehementer concuſſi* fuerint (*) ".

(*) Loc. cit.

Summa vero tum ſpinae vertebralis, tum ipſius hac in ſpecu latentis medullae, in ſuſcipiendis morborum ſeminibus promptitudo eſt atque proclivitas; quamvis multorum hanc ad partem dolorum origo, ex nervorum ſuper ipſis verticulorum corporibus in viſcera thoracis & abdominis abeuntium irritatione videatur repetenda. Hi enim, tot ſenſibiliſſimi, tantiſque inter ſe nexibus intricati funiculi, *medullae ſpinalis* aut proles, aut nativitate coniuncti, vel minimas, quae his in organis exoriuntur, fideliter turbas referunt; tantumque ſpinae in has ipſas conſenſum implorant: ut, quem demum hoſtis affilierit angulum, difficulter eruamus. Quid quod multoties nervi, per *ſaturnina*, aut *acre rheumaticum* in ipſo alimentari tubo, crudeli ſub tormine, laceſſiti, ſola in medullarem ſpinae ſubſtantiam actione ſua, extremitatum paralyſin, cuius fruſtra in vertebris quaereretur origo, producant. Solo *variolarum* contagio, ſub periculoſis morbi circumſtantiis, vehementiſſimi ſpinam dolores dilacerant: qui non minus *miliaria* interdum, morboſque gaſtricos comitantur. *Tetanum* tam vehementem ex febre bilioſa & miliari, ut non modo cyphoſin produxerit, ſed & in utroque thoracis latere coſtas

in profundas foveas retraxerit, a me deſcriptum alibi habetis. Quinque in *Ticinenſi* Noſocomio aegrotos, duobus abhinc annis, obſervavimus, qui ſinguli, ob crurum pareſin & tremores, greſſus, niſi ſumma cum difficultate, nullos inſtituere potuerunt: quorum interim morbus, *abdominalem* magis, quam aliam habuiſſe originem videbatur (*). Sanguini, licet non abundanti, ad uterum, ad vaſa haemorrhoidalia, conſueto appulſu haerenti oppoſita quaevis obſtacula, — vel ipſo demum abortus, aut partus mulieri inſtans, intolerabiles quandoque lumborum dolores excitant: quae tamen ſingula non *ſpinae* ipſius, ſed viſcerum cum eadem conſenſus, phenomena ſunt. Infelix interim medentes docuit experientia: non raro cauſſam tantorum ad *ſpinam* dolorum, nunc in ſtimulatis verticulorum ligamentis, nunc vero in ipſa ſpecu vertebrali reſidere; nec aliter *ſpina*, quam *capite*, hominem dolere.

Quemadmodum vero *cephalaea*, quam *idiopathicam* ſalutamus, diverſas in ipſo capi-

(*) Singularis huius morbi apud *Tranſpadanos* hinc inde nunc occurrentis, & *raphaniae* affinis, alibi deſcribam hiſtoriam.

Digitized by Google

te, aut cerebro mutationes agnoſcit, & in alios graviſſimae indolis affectus non raro diſponit: ſic & *Rachialgia* (liceat enim hoc nomen ad ſuam ſignificationem reducere (*)) nunc ex maiori cruoris ad vertebralem tubum appulſu, — nunc ex eiuſdem ſingulari hanc ad partem confluxu ſeu *plethora ſpinali*, ex vaſorum plenitudine varicoſa, — nunc ex deliteſcente hic locorum ſtimulante acrimonia, & interdum ex nata vel in ſpinae perioſtio, vel in menynge, vel in pulpa medullari inflammatione, aliiſque a cauſſis dependet. Summa vaſorum encephali repletio & dilatatio, non raro vertiginem caducam, convulſiones, inſultus apoplecticos; — ipſa vero ſanguinis effuſio toties apoplexiam inducit: quid demum ex aequali *ſpinalis medullae* affectione malorum orietur? experientia hic ſilet fere; ſed ratio ſugerit, & paucorum cadaverum inſtituta ad ſpinam perluſtratio iam dudum, quid in multis contingat, docere debuiſſet. Vix dubium mihi naſcitur, *reſpirationis* effectus in *ſpinalem*

(*) *Notialgiam*, a νωτὸν, dorſum, & ἀλγέω, doleo, vocari voluit DELIUS. Diſſ. de Notialgia, ſeu dolore dorſi, eoque vario. *Erlangae*, 1765.

medullam eoſdem eſſe, quam in *cerebrum*; — venas, ſinuſque vertebrales non minus nunc oppleri, nunc concidere magis; — in longiori vero pulmonum contenſione, eodem prorſus modo, ac ipſum encephalum, vertebrali in ſpecu, momentanea plethora turgeſcere & inflari. Nec frequentius ſub his ipſis circumſtantiis, *apoplexias*, quam *dimidii corporis reſolutiones*, oriri crediderim. Ex diuturno in ſenibus ad cervicem dolore, non raro futuram in iiſdem *apoplexiam* praedicimus; & in multis *hemiplegia*, ſine previo apoplectico inſultu comparens, quemcunque convincet: in ipſa vertebrali ſpecu talia contigiſſe, qualia, ſi ad caput accidiſſent, *apoplecticum* morbum diceremus; nec certe hunc ipſum a *paralyſi*, quam ſemper HIPPOCRATES *apoplexiam* vocavit, niſi gradu differre videmus: ut ex ſola cruoris in ſpinam effuſione, *apoplexiam* DUHAMELIUS obſervaverit.

Sua igitur cuivis *vertebrali capitulo* apoplexia eſt & paralyſis, quouſque propria dominatur nervoſa propagine, ſingulas ſibi inferiores in vertebras extenſa. Quamvis vero tum GALENI (*) tum HALLERI (**) MOR-

(*) De locis affect. L. III. c. X. & de Adminiſtrat. anat. L. VIII. c. VI.
(**) Elem. Phyſiol. P. IV. pag. 334.

GAGNII, (*) atque DU-PUJI (**) obſervatio docere videatur, id latus corporis reſolvi, in quo *ſpinalis medulla* vulnus paſſa eſt, aut paſſionem; neque eiuſdem medullae aliam fere, quam in altiori loco, in *calloſo* nempe *corpore*, *decuſſationem* eſſe quaerendam; necdum tamen extra omnem dubitationis aleam res poſita videtur; & cum vel ipſe MORGAGNUS *paucarum medullae fibrarum decuſſationem* negare non ſit auſus (***), quam & recentio anatomia ulterius confirmat (****); videtur omnino, ad has lites dirimendas maiorem obſervationum numerum eſſe exſpectandum. Certe puer, cui ſagitta nervum cervicis percuſſit, mox altero pede torpore & atrophia correptus fuit (*****). Vel in ſiniſtri pedis digito, vel ad ſuram, vel in poplite, vel ad femur ego acutum perſentiam pruritum; ex *adverſa ſemper aure* mihi tympanum citiſſimo motu convelli, & ſuſurrus conſtanter percipio: quae ſingula ad *ſiniſtram* aurem contingere

(*) Epiſt. Anat. XIII. art. 20. 21.
(**) Diſſ. Med. de homine dextro & ſiniſtro. Sect. 2. c. 1. §. 5.
(***) Loc. cit. art. 21.
(****) IO. GOTTH. HAASE, cerebri, nervorumque corporis hum. Anatome repetita. §. 58.
(*****) RIOLANUS antropograph. L. V. pag. 349.

ſentio, ubi crus *dextrum* repentino ſtimulatur pruritu. Hemiplegicam in *Clinico Ticinenſi* mulierem ante annum conſpeximus: quae, cum ex perfecta dextri lateris paralyſi convaleſcere tantiſper incepit, dextraeque digitos movere, conatibus magnis tentabat: hoc ipſum tamen, iuſſa, praeſtare non poterat; niſi *ſiniſtram* ſanamque ſimul manum validiſſime exerceret.

Valdopere dolendum eſſe arbitror, ſinuum, venarumqne medullam ſpinalem comitantium necdum exactam ſatis apud anatomos deſcriptionem haberi. Sed cum ſuus cuique verticulo circularis fere correſpondeat ſinus, quem longitudinalis, ex utroque ſpinae latere, ſinus perſecat; videmus utique AUDITORES! non exilem his ipſis contineri cruoris quantitatem. Atqui, cum venis hac ſpecu exeuntibus valvularum deſint officia, obque erectum hominis ingreſſum, non paucam certe in venoſo hoc ſyſtemate ad difficilem ſanguinis aſcenſum, occaſionem latere perſpicitis: inprimis dum vel in thoracis, vel in abdominis, pelviſque cavitatibus, tam facilis, tot ex cauſſis, compreſſio truncorum, in quos deplentur, locum invenit. Non mirabimur hinc COMMILITONES! ſi ex ſuppreſſo fluxu vel menſtruo,

vel haemorrhoidali, — ſi in ultimis praegnationis temporibus, vel ſub diuturna alvi obſtructione, — ſi ab uteri inflammationibus, prolapſu, retroverſione, ac ſcirrho, ſi a colicis ſpaſmodicis, aliiſque demum cauſſis, non *conſenſualis* modo ad ſpinam lumbalem dolor; ſed *vera* ſinuum venarumque vertebralium repletio, extenſio, cruciatus ſpinae inſignes, vel & crurum dolor, & iſchias, & claudicatio, & inferiorum extremitatum tremores, convulſio, torpor & paralyſis, vel & generalis & epileptica corporis concuſſio, & tetanus obſerventur. Hinc ex parce & pauliſper fluentibus haemorrhoidibus tenebricoſae apud HIPPOCRATEM vertigines, paralytici quid habentes, obortae ſunt (*); hinc ſub geſtatione ponderis, brachium ex paralyſi cecidiſſe in amico obſervavi, poſt paucas iterum horas in integrum reſtituto. Hinc a nixu ſub *partu* (**), ſub vomitu (***) paralyſis adnotata eſt; & ab ipſo mictu cruento & periodico ſuppreſſo, ARETAEUS eandem conſpexit (****).

(*) Coac. praenot. num. 364.
(**) FRID. HOFFMANNUS, Med. rat. ſyſt. P. IV. p. m. 41.
(***) SWIETENIUS, Comment. P. III. p. 266.
(****) De morb. diuturn. c. 3.

Neque ſub tanta ad *ſpinae plethoram* diſpoſitione, ſi vel levis ſtimulus ſuperaccedat, difficilis eſſe poteſt vertebralis canalis, & ipſius medullae ſpinalis *inflammatio*, quae vel ad *cervicales* vertebras, vel, quod in *Clinico Inſtituto* non ita pridem obſervavimus, alibique deſcribam, quodque tum apud HIPPPOCRATEM (*), tum apud BALLONIUM (**), ALLENIUMque (***), ſub *dorſalis Pleuritidis* appellatione occurrit, ad *dorſi* confinias, — vel demum ad *lumbalia* verticula, diriſſimi morbi imaginem ſiſtet: cui, ſicut verum nomen deeſt; ſic nullam in ſcholis conſiderationem concedi, fateamur! licet iam GALENUS eundem obſervatione illuſtraverit, dicens: „ Cecidit quidam ab alto in terram, „ ita, ut dorſi initium affligeretur: is tertia „ die exiguam vocem emiſit; quarta deinde „ die omnino obmutuit: reſolutaque ſimul fuerant crura, manibus omnino illaeſis. Sed „ neque ſpirationem amittebat; difficulter reſpirabat, — finita tandem *ſpinalis medullae*

(*) De morbis lib. III.
(**) BALLONIUS, lib. de Pleuritide dorſali, op. omn. Med. T. IV. pag. 289.
(***) Synopſ. univ. Med. pract. P. I. p. 165.

„ *inflammatione*, a ſeptimo die vox reſtituta „ eſt iuveni, & crura motionis facultatem re„ cuperaverunt (*). "

Hinc clarum redditur AUDITORES! cur abſceſſuum, cariei, & exoſtoſium ad ſpinam, & in ipſo eiuſdem cavo detectorum, qualem egomet deſcripſi, hinc inde exempla occurrant (**); & cur tot infelices ab acri rheumatico hanc ad partem metaſtaſes mihi ipſi obvenerint: ut, vix duobus abhinc annis, hanc ſolam ob cauſſam, nobiliſſimo, & longioris certe vitae digno *Breſciano* Comiti, poſt diuturnam urinae ſuppreſſionem, crurumque paralyſin, miſere fuerit pereundum.

Certe ex tot arteriis, quae, praeter *ſpinales*, quas cerebrum huc ablegat, per illa ipſa, quibus nervi & venae vertebrales egrediuntur, verticulorum foramina penetrant, & ad dorſum, lumboſque, ex tanta Aortae vicinia oriuntur; ad ſanguinis copiam, quae columnam vertebralem alluit, & ad impetum concludimus, qua cruentus hic torrens, ſub.

(*) De locis affectis. C. VI.
(**) Vid. IOH. GOTTH. HERMANNI Diſs. de Oſteoſteatomate. Lipſ. 1767. LUDWIG. l. c. Vol. I. p. IV. pag. 740.

certis circumſtantiis, medullarem ſubſtantiam inundat. Ex hoc appulſu, ſub febrilis rigoris fortiori ſpaſmo, ſub validiſſimis inteſtinorum in colica agitationibus, ſub viſcerum obſtru-ctione notabili, ſub ipſius Aortae coarctationibus, aut aneuvriſmate, ſanguiniſque per coeliacam, aut per meſentericas arterias impedito decurſu, tam inſignis dorſum, lumboſque tenſio vexat, & fixus dolor; & ex hoc demum ſanguinis ad ſpinam confluxu, HIPPOCRATIS locus intelligitur: „ Quae *infra* ſepti „ tranſverſi iuncturam ac connexionem gibba „ fiunt: eorum aliqua ſolvunt *varices* in cru- „ ribus fientes. Magis autem hae varices, „ quae in vena iuxta poplitem fiunt; fiunt „ autem & in vena circa inguina. Iam vero „ quibuſdam etiam dyſenteria diuturna ſolvit „ (*)". Nec obſcurus manet paſſus ille, quo ex gibboſitate *infra* ſepti tranſverſi cum ſpina iuncturam, „ fiunt, inquit, & *abſceſſus* ad „ ſuppurationem, & circa laterum mollitudi- „ nes & inguina diuturni ac aegre curabiles; „ & neutri horum gibboſitates ſolvunt"; ut ipſo iterum in *Clinico Inſtituto* talem ad *pſoam* muſculum abſceſſum uſque ad inguen prominentem, cum vertebrarum carie, obſervaverim.

(*) De articulis.

Quemadmodum vero praeter alias hydrocephali interni cauſſas, non immerito WITHERINGIUS & ipſius cerebri inflammationem adducit: ſic certe ab ipſa vertebrali ſpecu vel medulla ſpinali, inflammatione correptis, ſeroſus, ac purulentus humor hoc in cavum effunditur & *hydrorachitidis ſanioſae* ſpeciem producit. Nec *oſſa* quidem ab *hydrope* immunia eſſe, recentiorum obſervata docuerunt; ſed ipſam vertebralem columnam, ſub *anaſarca*, ſeroſa colluvie repletam, quinque mihi cadavera hydropicorum diſſecta oſtenderunt: ut brachiorum ille in thoracis hydrope, tum *chronico*, tum eo, qui per inflammationis pulmonalis vehementiam interdum contingit, *acuto*, torpor, aut dolor, ſubinde non adeo ex aquis in ipſo pectoris cavo ſtagnantibus; quam ex *ſero*, brachialium nervorum initia ad cervicalem ſpecum comprimente, aut irritante, oriri videatur (*); neque dubium ſupereſſe queat, *diſpnoeae* rationes ſaepenumero ad *phrenici nervi* origines, vel ad nervorum, qui inter coſtas decurrunt, principia *ſpinalia* haerere: quod LOWERI inprimis experimento comprobatur: qui *phrenicis* nervis in anima-

(*) Delect. Opuſc. Med. Vol. VI. p. 23.

libus ſcalpello inciſis, mox reſpirationem, qualis in equis aſthmaticis eſſe ſolet, perdifficilem fieri, obſervavit.

Hydatides; quas & alii, & egometipſe in cerebro non infrequenter invenimus, ad *medullam ſpinalem* haeſiſſe, ignoro; ſed earundem in illo, & ipſius adeo *Taeniae hydatigenae* detecta nuper a WERNERO atque FISCHERO exiſtentia, probabilem mihi reddit ſententiam: tum hydropem, tum alia ſpinae incommoda, interdum ex his cauſſis ſcaturire.

In *maniacorum* cerebro non raro maior omnino, quam in aliis hominibus, medulloſae ſubſtantiae *durities* eſt obſervata (*); *ſpinalis* vero medulla, cerebrina naturaliter firmior, ab hoc vitio, quod plures iterum ſectiones me docuerunt, nequaquam exempta eſt; quin tamen, quam partem ſymptomatum praegreſſis in morbis habuerit haec mutatio, diſtinguere ſatis potuerim. Ad SPIGELII, SANTORINI, RIOLANI, ROLFINKII, & BINNINGERI exemplum, *marcorem nervi optici*, a dextri bulbo oculi, uſque ad eiuſdem thalamum, in muliere obſervavi, quae *amauroſi* per multos annos ad *dextrum* laboraverat ocu-

(*) Vid. Delectus Opuſc. Med. Vol. I. p. 92. not.

lum; ſed quid ex medullae ſpinalis rigiditate, aut marcore, malorum proficiſcatur; hoc, niſi artuum atrophia, corporiſque tabes fuerit, difficulter eruimus.

Quodſi vero tabis, quam *dorſalem* vocamus, ſymptomata, ſingularem muſculorum dorſalium, lumbalium deſtructionem, dolorem capitis, cervicis, lumborum, formicarum per ſpinam decurrentium ſenſum, artuum tremores, gravitatem, convulſiones, paralyſin, articulorum cruciatus, facileſque ſeminalis liquoris iacturas, attenta mente rimemur: vereor, ne tantorum effectuum ad ipſam ſpinam, eiuſque medullam cauſſa interdum lateat. *Tabem coxariam* deſcripſit HIPPOCRATES, quam ex *defluxione capitis per venas in ſpinalem medullam*, derivavit (*), monens: ex ſanguinis interdum copia in medullam ſpinalem irruente, calorem eius omnem & facultates ſuffocari (**). „ Interdum vero, inquit, reſicatur medulla ſpinalis maxime, cum venulae „ ad medullam tendentes fuerint obturatae, „ itemque ex cerebro acceſſus. Propter cor„ poris autem afflictionem haec patitur, &

(*) De glandulis. Edit. Foeſ. p. 273.
(**) Epid. V. & de intern. affect.

„ aegrotat. Reſicatur etiam a venere, dolor „ acutus accidit ipſi in caput, & in collum, „ & in lumbos, & in lumborum muſculos, „ & in articulos crurum, ut aliquando flecte- „ re non poſſit. Et ſtercus non ſecedit, ſed „ ſiſtitur. Et urinae difficultate vexatur (*)". Quamvis vero HIPPOCRATIS haec de tabis cauſſa opinio, ſectione cadaverum, anatomiciſque rationibus deſtituta ad nos pervenerit; vix tamen dubitaverim, nutritionem tum cerebri, tùm medullae ſpinalis non ſemper eſſe eandem; vel ſaltem diverſam ſubinde & in medulla ſpinali eſſe *duritiem*, quae toties in cerebro detecta fuit. In membranis cerebrum involventibus, in ſinu falciformi, alibique, tum in ipſa Arachnoidaea Tunica ſpinae medullam ambiente, *oſſeas* lamellas apud ipſum MORGAGNUM reperimus: „ non ſolum in- „ tra cranium, inquit Vir ſummus, ſed intra „ vertebrarum etiam tubum, ibique in ipſa „ Arachnoidaea, ſi non *os*, at oſſis ut puto „ inchoamentum conſpexi (**)". Menſe Decembris anni 1786. cadaver coram vobis COMMILITONIBUS, defuncti ex hydrope aegroti

(*) De intern. affect.
(**) De ſedib. & cauſ. morb. Ep. XXV. 9.

aperui : qui oculo ſiniſtro fere coecutierat, & linguae laborans infimul vitio, dextri brachii *pareſin* perpeſſus fuerat. Omnia quidem corporis cava, & oſſea vertebrarum ſpecus copioſiſſimo ſero repleta erant; *nervi* vero omnes *duriores*, & medulla ſpinalis ad cervicem, naturali tenuior, duriorque apparebant : ut in medio aquarum *reſiccatam*, aut ſaltem compreſſione induratam dicere omnino licuiſſet.

Atque haec tandem, COMMILITONES OPTIMI! Vos de vertebralis columnae in morbis dignitate commonuiſſe ſufficiat! caetera, quae temporis penuria ampliori dictione eruere non ſinit, & quae non minori, quam ipſius cerebri affectiones, involvuntur caligine, VOS IPSI diligentiori tam conſpicuae partis, tum in aegrotante corpore, tum in cadaveribus, examine ſupplebitis. Nunc ad vos ſermonem meum converto, qui poſt exantlatos labores academicos, pro excipienda Apollinis laurea frontem porrigitis, optimi iuvenes. Accedite ALBERICE CERRI Mediolanenſis, & IOANNES MORANDINI, Laudenſis! qui aſſiduitate veſtra, ac diligentia ſingulari, SAPIENTISSIMORUM PATRUM honorificam vobis approbationem & laudes promeriti eſtis! & tu IOSEPHE, fili dilecte in

teneros Parentis amplexus accede! Non ego, quod vitae tibi auctor fuerim (*), ſed in eo, quod ſcientiis & ſocietati hodie naſcaris, gloriabor:

Gratum eſt, quod Patriae civem populoque dediſti,
Si facis, ut Patriae ſit idoneus utilis agris,
Utilis & bellorum, & pacis rebus agendis.

Huius ego moniti, cum prima tuis lux oculis affulſiſſet, bene memor, perpetuus comes, & indefeſſus tibi cuſtos aſtiti. Quae pueris ſpectra inſidiantur & anilium ſub larva fabularum per cerebrum inerrant: haec a te, ſacro nudae veritatis abegi ſolerter amuleto; nec te unquam aut *mandux*, aut *lamia*, aut *Cyclopes*, aut *mercurius atro carbone oblitus* terruerunt. Sic mentem ſanam in corpore ſano tibi ſervare ſtudens, plurimarum rerum, quibus puerorum obruitur memoria, *ignorantiam* in te alui, contentus ſenſuum, quo imagines recipiuntur, continuo exercitio, rectaque obiectorum, quae tenera pupilla intuebaris, poſitione. Saepe, quae, fortuito tibi oblata putans, puerili luſu tractabas; haec a me, certo, futuros in uſus, diſpoſita ordine, te, quam non percipiebas,

(*) Natus eſt *Raſtadii*, in Marchionatu *Badenſi*, die 23. Decembris anni 1771.

Digitized by Google

ad metam ducebant. Sic anatomicorum delectatus togula, *ſeptennis puer*, cadavera non pauca, — certe, qua quivis lanio potuiſſet, rudiori manu perſcrutatus es; ſed tractu temporis, aetate, qua nemo futurus Medicus humani corporis ſibi format imaginem; nec viſcerum ſitum, connexionem & fabricam, nec uſus communes ignorabas. Sic Chymicorum, hac ipſa in aetate, admiranti labores; machinulas, quibus faciliora, ſed praecipua hac in arte experimenta, aliorum ad imitationem, non ſine duce egregio quondam in chymicis BELLONIO, laetabundus ſuſciperes, lubenter tibi conceſſi: & ſenſim ſenſimque corporum, quibuſcum infantum modo ludebas, naturam, quo minime cogitaveras, tempore, ſtuduiſti. Sic, cum hortulo, in quo plantae officinales, ſtudioſorum in uſus, colebantur, praefixus a Principe fuiſſem; hortulanum te ridens ſubſtitui puerulum: & cum LINNAEO ludentem, prima Botanices rudimenta avide haurire gaudebam. Tandem creſcentibus annis, non neglectis, quae educationem tum phyſicam, tum moralem concernerent, ut ipſe ego in medicae artis te informarem myſteriis, aulam *Spirenſem*, cui, forte non iniqua, Archiater conſtitutus fueram, cum *Goettinga* commu-

tavi : qua in Regia atque literarum ſubſidiis inſtructiſſima Academia, felicior tibi, fratrique tuo, ſtudiorum campus pateret. Hic vero, cum tenera labores ſerios aetas necdum permitteret, atque tum linguarum, tum alia tibi ſtudia incumberent, hiſtoriae naturalis ILLUSTREM, CELEBERRIMUMQUE BLUMENBACHIUM explicantem principia audiviſti; neque caeterorum interdum, qui florentiſſima illa muſarum in ſede cum tanto applauſu ſcientias tradunt, Virorum, inprimis amiciſſimi, praematura eheu! ut ſentio, morte arrepti MURRAYI, in quantum puerilem non ſuperabant captum, lectionibus defuiſti: atque ſic, apum in morem, mellis ex floribus obviis paululum, & quantum tenerae capiebant fauces, ſuxiſti. In *Italiam* mecum tranſvectus, continuato linguarum tum latinae, tum gallicae, anglicaeque ſtudio, non modo Illuſtriſſimorum Profeſſorum, qui hac in Academia cum tanta celebritate ſcientias interpretantur; ſed pathologicis ſectionibus vix non omnibus, & clinicis etiam laboribus, ut ſic in ipſa natura morborum ſtuderes imagines, frequentiſſime interfuiſti; & non modo meis circa haec omnia, circa morborum naturam & curationes, paternis explicationibus

continuo uſus es; ſed & in marhematicis, doctiſſimi DE'FELICII, in chemecis, & illis, quae materiam medicam, & Botanicam concernunt, egregiorum MARABELLII, NOCETTI, & SGANAGATTAE exercitiis literariis & oſtenſionibus, ultra quam debueras, erudiri voluiſti.

Sed quorſum AUDITORES, in proprii commendationem filii haec refero? . . . ingenue dicam! Primum eſt, ut te ipſum o fili! laudabili cum ſcientiis nodo revinciam: quas, ſine vituperio, maiori conamine atque ſucceſſu non poteris ſic non proſequi. Secundum, & quod maxime cordi mihi haeret, eſt: ut cum non *quinquenni*, quod leges, me ipſo proponente, hac in Academia praeſcriptae iubent; ſed *trium* annorum curriculo (quod ipſemet ego in iuventute mea praeſtiti) rem medicam abſolveris; rationem exponam, cur hac libertate, quam aliis denegandam eſſe cenſui, tecum ipſe nunc utar. Ac primo quidem *Exteros*, qui Academiam hanc adeunt, lex illa non reſpicit; ſed his, quandocunque labori pares ſe eſſe contendunt, ad examina *rigoroſa* via patet & aditus. Sub hac filium conditione ad ſubeunda praeſentavi pericula: *Indigenorum*, ad quos iure officii nunc ſpecto, exer-

cendae hac in regione artis beneficio, quod a lege dependet, lubens renunciavi, & eouſque, donec omne, quod leges ſibi volunt, ſtudiorum tempus adimpleveris, licet benignitas VESTRA, PATRES SAPIENTISSIMI! aliter in favorem deciderit, publice, ac ſponte renunciamus. Vel enim filium arti hac in Auſtriaca Inſubria exercendae deſtino: atque tunc ille, priuſquam ad hoc ipſum ſeſe accingat; ad lectulos aegrotantium non *duos*, non tres; ſed, quod nemo experientiae magis, quam ego ipſe, neceſſitatem quotidie ſentiat, per multos certe annos ſub propriis verſabitur auſpiciis; — vel idem hic filius apud *Exteros* Medicinam facturus eſt: atque tunc leges *Inſubricae* eundem non tangunt. Lex interim hic lata generalis eſt, nec Profeſſoris in arte ipſa filium, tot privatis lectionibus gaviſum, & a prima infantia pro hac ſcientia educatum, exceptione indignum crediderim, Voſque IPSI, SAPIENTISSIMI PATRES! exantlato examine, non indignum eſſe, cum applauſu decreviſtis.

Accedite hinc, vos enim iterum compello, IUVENES OPTIMI! & Laureae Medicae inſignia ex manibus amici, & parentis accipite! &c.

SIM. HERZ,

D. M.

OBSERVATIONES

DE

FEBRIBUS NERVOSIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Veniam apud ingenuos, verique amantes viros me impetraturum, nec forſan in arrogantiae ſuſpicionem incurſurum, confido, ſi ad locupletiſſimas iſtas obſervationes, quibus indies a tot tamque peritis viris, qui in omnis generis morborum hiſtoriis conſcribendis, tantos iam iam labores contulerunt, ars medica ditatur, ex meae experientiae penu ſymbolam quoque conferre animum induxerim; cum vix ulla medicorum ſit obſervatio, ex qua, ſi modo fides, quae hiſtoriam inprimis commendare debet, non deſit, non aliquid utilitatis expectari poſſit.

Medicinam facio in Ucero-Marchiae metropoli, Primislavia dicta, ubi nec tam ampla quidem medico contingit occaſio inſtituendarum obſervationum, nec multiformes & monſtri ſimiles occurrunt morborum cohortes: interim tamen haud raro obvia extant exempla, quorum praecipua memoriae tradere haud indigna videntur.

Non dedignabuntur igitur, ſpero, aequi medicarum rerum cenſores meam operam, ſi, quantum otii mihi ſuperfuit, febrium nervoſarum obſervationibus aliquam curam impenderim. Occaſionem maxime praebuerunt exempla, quae mihi obvenerunt haud pauca: hiſtorias morborum ſtudioſe conſcripſi, HIPPOCRATIS aphoriſticam dictionem ſectatus, atque recentiorum in praxi verſatiſſimorum vi-

rorum obſervationes diligenter evolvi, & inter ſe comparavi: quae haud parvam mihi iniiciebant ſuſpicionem, febres recentiorum nervoſas cum illis, quae ab HIPPOCRATE, *aliiſque noſtrae aetatis nonnullis, qui ab Hippocratico vocis uſu haud receſſerunt, maligne nuncupantur, magnam alere cognationem, & quidquid induſtrius in facienda medicina* COUS *in praenotionibus ſuis aphoriſtica licet brevitate de febrium malignarum ſymptomatibus, harumque eventu propoſuit, & attente collegit, febribus ſic dictis nervoſis facile accommodari, & ad illarum cognitionem conferri poſſe.*

Praeterea haud indigna videtur mihi attentione haecce contemplatio, viam parans ſimul expeditam ad eruendam clarius, univerſaliuſque exiſtentiam, quam vulgo vocant, indolemque veram malignitatis notionis; quae celeberrimos inter medicos diſſenſui, erroribuſque naſcendis occaſionem praebuit.

Hoc igitur conſilio prodeunt hae obſervationes: quae, ſi forte non diſplicebunt, impellent me, ut, ſi neque animus, neque otia ad ſcribendum defuerint, in pleriſque morbis mihi occurrentia, memoratu maxime digna, accuratiuſque elaborata, in publicum aliquando emittere conſtituam.

Dabam Primislaviae menſe Ian. 1789.

Digitized by Google

OBSERVATA

QUAEDAM

AD SIMILITUDINEM

NERVOSAE FEBRIS

CUM

MALIGNA SPECTANTIA.

Febris nervoſa poſtquam nova plerumque aptiora nomina pleriſque morbis a recentioribus, noſtraeque etatis ſcriptoribus impoſita ſunt, etiam huius febris nomine immutato, ita medicorum obſervationibus illuſtrata eſt, ut non deſit abſolutiſſima eius hiſtoria apud MANNINGHAM *a*) LANGRISCH *b*) HUXAM *c*) HOME *d*) GLASS *e*) VOGEL *f*)

a) The ſympt. nat. and cauſes and cure of the febricul. or little fever.
b) The modern theory and pract. of phyſ.
c) Opp. ed. Reich. T. I. & T. II.
d) Princip. med.
e) Comment. de febrib.
f) Praelection.

SELLE *g*) alioſque nec paucos, nec incelebres. Hanc ſub τύφυ nomine ab HIPPOCRATE deſcriptam cenſet SAUVAGESIUS. Ab hoc tamen diſceſſit cl. VOGELIUS„ quod ſi enim, inquit, a praemagna imbecillitate receſſeris, quam HIPPOCRATES adſcribit ſuis typhis, nihil commune illae habent cum noſtra febre, ſeſeque inprimis ingenti ardore & breviori duratione ab hac diſtinguunt" *h*).

Et profecto, ſi illa, quae de typhis ſcripta leguntur apud HIPPOCRATEM, perpendantur, & cum febrium quarundam ſymptomatibus comparentur, multo veroſimilius videbitur, non de febribus hodie ſic nominatis nervoſis, ſed de morbis, putridis febribus ſimillimis, ibidem agi.

Nam, de typhis agens, ſic loquitur„ invadit aeſtatis tempore, cum canis ſidus oritur, bile per corpus agitata. Statim igitur cum febres vehementes corripiunt, & gravis ardor & cum gravitate imbecillitas, crurumque ac manuum impotentia, quae nullum ei uſum praeſtant, venter perturbatur, & quae ex eo

---

g) Pyretolog. method. & ej. neue Beiträge &c. Iter Theil.

h) L. c. §. 56. p 39.

dimittuntur graviter olent, vehementiaque tormina accedunt &c. *i)* " Alium pariter typhum ortum ſuum trahere dicit „ cum bilis putrefacta cum ſanguine per venas & articulos permixta fuerit " *k)* iterumque alium, cum corporis humidum putrefactum, & plus aequo reſiccatum fuerit; *l)* & quod attinet ad illum typhum, ubi eo laboranti „ totum corpus interdum intumeſcere *m)* " dicitur, id ſane a febre nervoſa hodierna alieniſſimum eſt. Quare probabile utique eſt, quod de typhis ab HIPPOCRATE notatum fuit, non ad nervoſam febrim ſpectare videri, neque quem ad febris nervoſae ſpeciem refert cl. HUXHAM, morbum cardiacum CELSI, huc pertinere, idem VOGELIUS confirmat „ quum febrilis morbus plane non fuerit " *n)*.

Omiſſa vero huiuſmodi qualicunque diſputatione, illud vere certiſſimum eſt, quaecunque de malignitate paſſim in febribus edixit HIPPOCRATES cum ſymptomatibus febrium

i) De internis affectionibus, edit. Foes. Francofurt. 1621. p. 553.
k) Ibidem p. 554.
l) Ibidem p. 555.
m) Ibidem p. 553.
n) Ibidem l. c.

nervoſarum convenire. Prius vero, quam ad ulteriorem huius argumenti recenſionem progrediar, malignitatis vocabulum, quod continuo fere in ore habemus, cum hac in re cardo totius negotii verſatur, aliquam penſitationem meretur. In Galenicis definitionibus medicis malignum morbum appellatum invenio „ vi quidem maximum & difficilem, imaginatione imbecillem, certum iudicationis tempus non habentem " *o*) quoad ſumme BOERHAVII opinionem circa malignitatis notionem, ii dicuntur morbi maligni „ qui ſubito vires deſtruunt " *p*) cl. de HAEN ſtatuit, morbos eſſe malignos „ quos ſymptomata inſolita, aut ſolito graviora & numeroſiora comitantur " *q*) apud celeb. GAUBIUM malignus morbus habetur „ qui inſidioſe mitis, ſub phaenomenis non ominoſis aggreſſus, ex improviſo graviſſimis ſymptomatibus naturae vires opprimit; alias & talem, qui praeter morem ſuum inuſitata ſymptomata turbaſque vehementiores, quam quae naturae eius con-

o) Pag. 544. ed. Baſil.
p) Vid. ej. prael. in inſt. med. cum not. Halleri Tom. VI. p. 92.
q) Rat. med. Tom. III. cap. I. p. 4.

venire videantur, excitat. Denique & refractarii, qui expertorum quoque remediorum vires eludunt, ac curatione vel magis exacerbantur, huc referri ſolent " *r*) cl. ELLER omnem malignitatis naturam, qua morbus febrilis vehemens per contagium propagari, & epidemice graſſari ſolet, *s*) conſiſtere aſſerit. Celeber. STOLLIUS „ nulla dari pathognomica malignitatis ſigna, nullamque eius definitionem condi poſſe, nec ullam exiſtere malignam febrem, quae ſpecifica ſit & ſui generis " *t*) opinatur. Sunt etiam nonnulli, qui nullum inter febrem malignam & putridam diſcrimen ponere videntur. *u*) Plerique tandem e ſymptomatum magnitudine malignitatem diiudicant, & quibuſcunque febrium ge-

---

r) Inſtitut. patholog. med. §. 876.

s) Obſ. de cognoſcend. & curand. morb. Sect. VI. p. 112.

t) Rat. med. T. II. p. 22.

u) Vid. cl. HUXHAM. l. c. T. II. p. 100. & cl. PRINGLE über die Krankheit einer Armee, cap. 7. p. 270. Summi inter Anglos viri promiſcue hanc vocem ita aſſumunt, in hanc opinionem & inclinare videntur cel. TRALLES „ virium, quae terreis remediis &c. adſcriptae ſunt, exam. rigoroſ. " Cap. XIX. p. 365. & cl. TISSOT Sämmtliche zur Arzneykunſt gehörige Schriften 1.r Theil Cap. 17. p. 245.

Digitized by Google

neribus interdum ſupervenire exiſtimant. *v*) Dolendum ſane eſt, quod ex omni harum longe diſſidentium definitionum vel deſcriptionum cenſu vix una alterave cum alia convenientiam habet, & tam infeliciter ceſſit viris, tum doctrina, tum ſtudio, ad hanc rem ſatis inſtructis, ut paſum ad ſeveriorem rationis normam accedat. Sed huic de malignitate arduae diſputationi medicas tandem manus adhibuit vir ſtudii atque ingenii magnitudine admirabilis, clariſſimus BALDINGER, qui medicorum diſſenſum, celeberrimorumque practicorum errorem in definienda malignitate videns, malignitatem in morbis ex HIPPOCRATIS mente per recentiorum irritabilitatem & ſenſibilitatem illuſtravit, *w*) febriumque malignarum ſymptomata ex coacis adeo ſollicite collegit, ut, quicunque omnibus praeiudiciis immunis, attente monumenta haecce

v) Conf. cl. WEIKARD. Vermiſchte mediciniſche Schriften 2tes Stück p. 246. Sic. Io. VEITZ pyretolog. pract. p. 9. inflammationes malignas dicit, „ ſi ſanguis poſt multas venae ſectiones ſemper pleuriticus, pulſus ſemper durus ſit, ſi inflammatio totum viſcus vitale occupat, ſi corpora cacochymica invadant. “

w) Vid. hui. viri libellum, qui inſcribitur Opuſcul. med. Goetting. 1787. ad progr. V.

Digitized by Google

legerit, quae non modo ſimplicitate ſua legentis ſtudium excitabunt, ſed evidentia etiam aſſenſum extorquebunt, non amplius dubius haerebit, nec in putrida febrium indole, *x*) nec in colluvie bilioſa, aut in diatheſi quadam phlogiſtica malignitatis characterem ponendam eſſe, proprium vero morbi genus conſtituere febrem malignam, cuius ratio in ſyſtemate nervoſo latet; nihil enim illuſtrandis ſymptomatibus magis conſentaneum eſt, quam univerſali cuidam ſyſtemati, cuiuſmodi nervoſum eſt, ſedem adſcribere, laeſamque irritabilitatem & ſenſibilitatem accuſare: *y*) ſunt enim

---

x) Conſ. etiam cl. SCHROEDER diſſert. de febrium putrid. different. in §. V. in eius opuſc. cur cl. ACKERMAN, qui ſequentia habit. „ Quicunque modo enumerata malignitatis ſigna cum ſymptomatibus febris putridae comparaverit, magnum inter haec facile reperiet diſcrimen, ad malignitatem ideo conſtituendam, nulla requiritur humorum putredo, nec ad febrem putridam malignitas, & cl. RAHN. Adverſ. med. T. I. p. 298.

y) Non intelligimus hic (cum de irritabilitate & ſenſibilitate loquimur) ſolam illam, quae nervis ineſt, ſentiendi vim vel facultatem, ſive qua fibrae muſculares praeditae a ſtimulis applicatis contractiones exhibent, irritabilitatem Hallerianam dictam, ſed latiori ſenſu indicamus maiorem vel minorem, quam ſanitas requirit, irrita-

eorum nonnulla, videlicet laſſitudo, ſenſuum ſtupor, virium deiectio, mentis aberratio, non ea tamen, ut vehemens ſequatur delirium, animus triſtis, pulſuum raritas, aliaque, quae infirmitatem & minutam ſenſibilitatem denotant, quum alia in nimia vel aucta ſenſibilitate potius conſiſtunt; dira enim quandoque oriri videmus ſymptomata, quae omne fibrarum genus, cum muſcularium, tum nervearum ita afficiunt, ut a leviſſima quadam cauſa occaſionali, quae alios minori irritabilitate & ſenſibilitate praeditos nequaquam excitaret, ſpaſtiçae, ac inordinatae quarundam partium contractiones, deliria, inſolitaeque affectiones inſurgant, quae totum nervoſum ſyſtema vehementer percellant.

Unde vero ille ſenſus impotentiae? unde iſta praeternaturaliter aucta ſentiendi facultas? unde omnia illa ſymptomata, & quaenam,

---

bilem vim, & omnem mutationem, quae aeque in muſculis ac nervis, & nunc in iis, quae requiſitas ad manifeſtum motum producendum poſſident fibras, validiſſimas interdum excitat convulſiones, nunc alia, quae ex ipſis directe ſequuntur nervis affectis, deliria ſcilicet, dolores, horroris, & frigoris ſenſus, producit ſymptomata, aut ab utriuſque ſimul iunctis proficiſcuntur.

ut aiunt, cauſa proxima ea efficiant? An ab inertia, tarditate, aut alio quodam liquidi nervoſi vitio? aut (ſicuti nonnulli ſentiunt) a colluvie, aut vitio quodam lymphae? A coniecturis his, quum infra argumentorum illorum, quae poſteriorem quoddammodo probabilem reddunt ſententiam, mentio ſit facienda nobis temperabimus. Utcunque autem haec ſint, febris illius doctrina debili tamen adhuc nititur talo, quum, uti recte monet laudatus BALDINGER *z)* „ in phyſiologicis non niſi probabilibus argumentis demonſtrare poſſimus rationes phaenomenorum. Vix ſperandum itaque eſt, fore unquam, ut innoteſcat vera malignitatis ratio " Hiſce ergo, quae cum malignitatis Hippocraticae idea conſentiunt, praemiſſis, pergendum eſt ad recentiorum nervoſam febrim, eiuſque partitionem in acutam & lentam: *aa)* prima ex eo dicitur, quod ob nimiam ſenſibilitatem nimium ſanguinis orgaſmum ab irritato & perturbato ſyſtemate nervoſo iunctum habet; altera, quod, ut nomen

---

z) L. c. p. 133.
aa) Conf. cl. SCHROEDER. diſſert. exhib. venae ſection. in febr. inſtit. &c. l. c. T. I. p. 171. ad 174. illuſtr. SELLE pyretolog. p. 268. & cl. RAHN. l. c. p. 304.

fert, lento paſſu incedit, *bb*) ex coniectura magni nominis virorum, ob ſyſtematis nervoſi debilitatem, huic febri iunctam. *cc*)

Ad prioris generis febrem referuntur phrenitis, febris ſoporoſa, hydrophobia ſpontanea, & febris acuta puerperarum, &, ſi ex contagio

bb) Commode diſtingui poſſunt febres nervoſae in duo ſtadia, unum levius, gravius alterum, in leviori plerumque e lecto manet aeger, moeret, pariter & angitur, imbecillus eſt tum mente, tum memoria, ſic quidem, ut rationis non ſit expers, ſed hebes & ſtupidus; in altero ſive graviori gravius affligitur, lecto affixus eſt &c.

cc) Nimia ſenſibilitas vel irritabilitas locum habere non poteſt, niſi ſimul huic debilitas quaedam iuncta ſit: quo teneriores enim & ad debilitatem plus propendentes ſunt nervi, eo facilius ſenſilitas in actum deduci poteſt. Hinc facile liquet, debilitatem in acutis aeque ac lentis febribus nervoſis in culpa eſſe, illamque nonniſi gradu differre, cum in his tanta debilitas, imminutaque ſenſilitas ſit, ut non ſufficiat iis producendis motibus natura, quos oeconomiae ſalus poſtulat (quanquam haud negandum eſt, non ſemper adeo impotentem, imminutamque eſſe ſenſilitatem, ut non ſufficeret nonnunquam ad producendos motus ſalutares, & leviſſima tantum quandoque requiratur cauſa occaſionalis ad excitandos ſpaſmos), in illis vero nimia ſit ſenſilitas, a ſingulari quadam ſyſtematis nervoſi debilitate pendens, ita ut facilius ab irritamento quodam levi afficiantur, magnaque ſymptomata inde producantur.

gio producitur, ad ſecundum acutarum genus referendum eſt: *dd*) ad lentam pertinet febris illa nervoſa Anglorum. Nonne utiliſſimam hanc partitionem, quae a doctiſſimis aetatis noſtrae practicis frequenter uſurpatur, etiam malignis accommodare poſſumus? cum dentur etiam febres, verioribus praeditae malignitatis characteribus, quae nunc lentiorem, nunc acutiorem habent decurſum; *ee*) cum omnia malignitatis ſymptomata, neque ſemper, neque eodem gradu, in omnibus eveniant; cum rationes nervoſarum febrium ex theoria petitae, etiam in generis nervoſi affectionibus ponantur, quae neque a corrupta & alienata aliqua humorum, ad ventriculum & inteſtina ſive ad ſanguinem delatorum, indole, neque a plenitudine aliqua vaſorum ortum nanciſcuntur, *ff*) & inſuper de phrenitide ipſa, quae ad nervoſas acutas refertur, maligniſſimae febris exemplum ſumitur; *gg*) & febris lenta nervoſa, ob gravia ſua coniuncta, eaque maligna ſympto-

dd) Vid. cl. SELLE l. c.
ee) Conf. cl. BALDINGER. l. c. p. 115.
ff) SELLE l. c.
gg) Vid. cl. BRENDEL diſſ. de phrenitide in opuſculis viri doctiſſimi, quae recudi curavit cl. Wrisberg.

mata, reliquaſque conditiones a clariſſimis iam viris malignae nomen obtinuit. *bb)* Nonne ergo febris lentae nervoſae nomen pro ſynonymo paraphrenitidis habendum ? quae levior minuſque acuta phrenitide eſt, & non niſi gradu differt, *ii)* quaeque hodie febris malignae nomine ambituque obſervatur: *kk)* & nonne idem forte eſt, an hanc febrem lentam nervoſam, paraphrenitidem, vel malignam lentam dixeris? Quid per voces phrenitidis & paraphrenitidis intellectum cupimus, nobis in praeſenti nulla eſt quaeſtio; ſcimus enim prae-

---

bb) Vid. VOGEL. l. c. & cl. SCHROEDER. in diſſ. de febr. putrid. different. l. c. T. 2. §. V. qui in hanc opinionem iam inclinare, & febrem Anglorum nervoſam pro maligna habere videtur, quum dicit, „ poterit tamen hic illa oriri quaeſtio, an ullum detur febrium, propriis nominibus di lingui ſolitarum, certum genus, ſemper & ubique malignum? praeter phrenitidem forte, & paraphrenitidem rectius intellecta hac voce, & febrem lentam nervoſam Anglorum pro meo quidem arbitrio nullum, in his autem ferme omnia malignitatis ſymptomata adſunt.

ii) Conf. iam ſaepe allatum clariſſimum SCHROEDERUM l. c. T. I. in diſſ. de indole ac ſede phrenitid. ac paraphrenitid. Cl. SELLE l. c. p. 121. & cel. BALD. l. c. p. 120.

kk) Cl. BRENDEL l. c. diſſ. de cognat. paraphrenitid. & febr. malign.

ſtantiſſimos viros nihil eorum, quae ad ſtabiliendam veram horum morborum ideam pertineant, intactum reliquiſſe: quos inter illuſtr. BRENDELIUM & clariſſim. SCHROEDERUM prima laude dignos, nominaſſe ſufficiet; non poſſum tamen, quin & moneam, cum hic de phrenitide, & paraphrenitide agitur, de cerebri aut diaphragmatis inflammatione ſermonem non eſſe; HIPPOCRATEM ipſum nunquam phrenitidis ſedem capiti adſcripſiſſe, & encephali inflammationem ſub ſphaceli nomine deſcripſiſſe, paraphrenitidi vero non aliam, quam phrenitidi, ſedem eſſe tribuendam, ex analectis penes BRENDELIUM & SCHROEDERUM elucere videtur; & per anatomen etiam multa & varia, quae praecordiis inhaerebant, delecta ſunt. Saepe enim in cadaveribus eorum, qui phreniticis & paraphreniticis morbis perierunt, reperiebantur inteſtina, praeſertim tenuia, hepar, ventriculus, meſenterium, & alia vaſis ſanguine turgidis conſperſa, neque minus corruptiones putridae. Sed negat cl. LUDWIGIUS, *ll)* veras has fuiſſe inflammationes, & plerumque

---

ll) Vid. ej. adverſ. med. pract. vol. 1. p. 1. art. 7.

morbi effectus ſunt, non cauſa: *mm*) ubi in aliis inſuper obſervationibus nulla fit de viſcerum abdominalium vitiis commemoratio. Neque negandum tamen eſt, interdum vitium aliquod haud exigui momenti in hypochondriis latere, non ſolum pituitam, verum etiam bilem, aliumve humorem depravatum per vomitum aut deiectionem eiici, atque ſub hac conditione eum cum bilioſis, pituitoſis corruptiſque humoribus complicari morbum. Sed nonne tales vomitiones ſimileſque praecordiorum affectiones, quibus vitii ſedem iſti potius adſcribunt, inſontibus hypochondriis, nervoſo ſyſtemate undecunque vehementius affecto, ob varium nervorum conſenſum, pariſque vagi, & intercoſtalis muniis, qui potius, in praecordia turbando, illarum partium functiones alienatis, atque impeditis, vim ſuam exſerere valent, ſine ulla humorum in praecordiis corruptione, ab occulta illa nervos inprimis laedente malignitatis cauſa produci poſſunt? Quum non raro ſpaſmi circa imum ventrem, etſi

mm) Sic etiam cl. QUESNAEUS, Traité des fièvres T. 2. chap. 7. nequaquam haſce vaſorum repletiones in malignis morbis pro inflammationibus habet, ſed potius venarum ſpaſmo adſcribit.

lingua pura ſit, neque os amareſcat, non ſolum pituitam, verum etiam bilem ipſam per vomitiones atque deiectiones, & aliquando etiam nihil humoris alieni vel depravati, ſed ſolum potum aut cibum ventriculo eiiciant, & non infrequenter vehementiora animi pathemata, hypochondriaca & hyſterica affectio, capitis vulnera &c. ubi nullum, quod ſenſibus percipi poſſet, humorum vitium, cui ſufficientem nocendi poteſtatem tribuere liceat, tales vomitiones producunt. Hinc in univerſi generis nervoſi affectionibus potius, quam in cacochylia, iſtas vomitiones, praecordiorum anxietates, dolores aliaque complura ſymptomata, quae, praeeunte HIPPOCRATE, in ſcriptis doctiſſimorum virorum ſimilibus in morbis commemorata legimus, ſaepius ponenda eſſe, ſuſpicor. *nn*)

nn) Ad eiuſmodi conditionem iam olim FERNELII pronunciata, quae apud cl. ETMULLER. extant T. 2. p. 1738. pertinere videntur, quum dicit, „ haec ipſa praecordia & partes omnes, quae circa haec ſunt, quia membranis ſepiuntur, nervoſque ſentientes ſuſcipiunt a ſexta (ſecundum veterum Anatomicorum ordinationem) cerebri coniugatione, eximio tangendi ſenſu ſunt praedita, magna etiam ſocietate tum principibus, tum internis corporis partibus connexae

Quod ad febrem ſoporoſam, & hydrophobiam ſpontaneam attinet, hae proprie non ſunt morbi, ſed ſymptomata tantum morbi ſunt, quae inter alia ſymptomata perniciosa aliquando malignis ſupervenire ſolent: *oo*) hinc febris ſoporoſa, comatoſa, aut lethargica, pro diverſo eius ſymptomatis gradu apud Auctores nominari ſolent. Et quod ad febrem acutam nervoſam puerperarum ſpectat, non vacant quidem propriis quibuſdam, & peculiaribus morbis puerperae, qui partum ſequuntur, & ab ipſo partu, ut cauſa, pendent: cum autem febris acuta nervoſa, quae, ut alius quicunque morbus, ex communibus cauſis puerperis ſupervenire poſſit, proprius puerperarum morbus exiſtimari nequit, hinc huc pertinere non liquet. Novam vero non eſſe febrem nervoſam, nullibi magis apparet, quam in Hippocraticis ſcriptis, & praecipue in eius COACIS praenotionibus, ubi malignarum ſymptomata ita ſimilia

---

ſunt, iiſque adeo conſentiunt, ut affectae mox principes partes, univerſumque corpus in conſenſum trahant."

oo) Sic in commentar. in Boerhaav. aphor. Tom. 3. §. 1130. aliquot de hydrophobiis extant hiſtoriae medicae, quae abſque ullo rabioſi animalis veneno aliis febribus acceſſiſſe referuntur.

illis, quae recentiores de nervoſarum ſymptomatibus referunt, recenſentur; ut nihil fere relictum eſſe videatur, quod febris nervoſae ſymptomatibus non reſpondet. Non alienum itaque erit, paucis percurrere ſymptomata, atque quaedam ex Hippocraticis oraculis decerpere, ut ſingulorum deſcriptiones una ſimul compareantur, & eorum convenientia magis clareſcat. Imminente morbo laſſitudo, moroſitas, animus deiectus, praecordiorum oppreſſio ſine colluviei in ventriculo aliiſve morbi ſignis, capitis gravedo, horrores leves, fugaces, cum incerta quadam caloris viciſſitudine, non ſolius febris nervoſae, *pp*) ſed etiam malignae, ſunt ſigna. *qq*) Somnus nullus aut brevis, aliis

---

pp) Conſ. cl. HUXHAM. l. c. T. 1. p. 164. & T. 2. pag. 78.

qq) Cl. BRENDEL l. c. diſſert. de paraphrenitid. & ſebr. malign. cognat. & Hippocrat. prorrhet. 74. „ Febres, quae ſoporem, laſſitudinemve inducunt, atque in quibus caligant aegri, inſomnia ac tenuibus ſudoribus vexantur, maligna ſunt. " 56. „ Ex praecordiorum doloribus obortae febres malignae ſunt " & Coac. 2. „ Corporis iactationes & incontinentiae cum perfrictione peſſima. " Cl. BRENDEL. l. c. T. 1. p. 171. hanc ſententiam. „ Ἀι μετὰ καταψύξιος δυσφορίαι. κάκισαι. " Ita vertit, „ cum algore morbum ferre inquietius, peſſimum " &

ſoporoſus, neque reficiens, pavoribuſque interruptus non in nervoſis ſaltem, *rr*) ſed etiam in malignis eſt; *ss*) pulſus in nervoſis *tt*) ſunt debiles, inaequales, naturali vel ſimiles, vel adhuc tardiores, non nunquam intermittentes, quod etiam in malignis *uu*) videmus: utriſque id omnino conſtans eſt, ut ſudores habeant fugitivos, frigidulos, ſaepe parvos, ſaepe largiores, & facies, caput & collum ſudore madeant, dum nares & aures eodem tempore frigeſcant. *vv*) Ad haec ſuperveniunt manuum

---

bene illuſtravit inquiens „ pertinet ad initia phreniridis & paraphrenitidum omnium, febriumve malignarum. Videmus aegros tum vix tepidos quin algidos potius; ceterum anxios, inquietos, moroſos, modo orthoſtadios, modo cubile repetentes: quae ſunt hac δυσφορίαι. "

rr) Conf. ill. SELLE l. c.

ss) BRENDEL. l. c. & prorrhet. I. „ Qui inter initia ſopore detenti, capitis, lumborum, praecordiorum, cervicis dolore ac inſomnia confliĉtantur, eos conſiderare oportet, num ſint phrenitici. " & 4. „ in iis, qui praeter rationem perturbantur, & vigiliis torquentur &c. phreninitidem praenunciant. "

tt) HUXHAM. SELLE l. c.

uu) BRENDEL. l. c.

vv) HUXHAM. SELLE, BRENDEL. l. c. & Coac. praenot. 12. „ Qui ſubinde inhorreſcunt, ex capite laborantes, tenuiter exſudantes, ii maligne habent. " & 32. „ Qui in febre non in-

& pedum aliarumve partium moleſtus & ſpaſticus ſenſus, ſingultus, tendinum ſubſultus, tremor manuum & linguae; quae in dorſo ſub initium nonnihil alba & humida, poſtea rubicundior & ſiccior fit: urinae tenues, albae vel aquoſae, vel turbidae, inſidioſo coctionis tum nondum expectandae ſimulacro. *ww*) His & individui comites accedunt deliria ante paullo obſcuriora, nunc iam manifeſtiora, raro furioſa, niſi in phrenitide, ſed potius taciturna; non raro & difficilior auditus, oculi ſordidi, & non nihil atque invite lacrymantes, tri-

termittente, tenuiter & crebro exſudant, cum praecordiorum diſtentione, ii, ut plurimum maligne habent. "

ww) Praenot. 30. „ In febre convulſio, manuum ac pedum dolores, malignum quid praenunciant. " 45. „ Laſſitudine conflictati aegri, ſingultoſi, & alto ſtupore detenti male habere ſignificantur. " 322. „ Lumborum dolor abſque manifeſta cauſa, crebro invadens morbi malignitatem ſignificat. " & 579. „ Urinae de repente praeter rationem parum concoctae, vitioſae ſunt. Ac in totum, quae in morbo acuto urina praeter rationem cocta eſt, vitium denotat, in his quoque malo eſt praerubra efflorescentia contenta atque aeruginoſa, alba vero effuſa & perſpicua urina mala eſt, praecipue in phreniticis apparens. " Conf. etiam cl. BRENDEL l. c. diſſ. de phrenitide, cl. HUXHAM. l. c. & illuſtr. SELLE l. c. p. 272.

ſtiorem offerentes adſpectum: *xx*) accedunt convulſiones, tremores, tandemque profuſiſſimos inter circa caput & collum ſudores, ſopor, & peripneumonico vel apoplectico modo vitam finiunt aegroti. *yy*) Praeter haec utrique communia ſunt, quod, qui convaleſcunt, ob debilitarem nimiſque fractam naturam, *zz*) coctionis criſeoſque negotium peragentem,

xx) Praenot. 197. „ Gravi ſurditate tentati, dum aliquid prehendunt tremuli, linguae reſolutione, ac torpore affecti, male habere videntur. “ & 218. „ Caligine obducti oculi &c. nihil probe prae ſe ferunt, malum quoque eſt, & lucem refugere aut illacrymare. “ Conf. & cl. BRENDEL. l. c. §. 8. & de febre nervoſa cl. HUXHAM. & cl. SELLE l. c.

yy) Praenot. 356. „ Convulſio febri ſuccedens periculum denunciat. “

zz) Naturam medicorum ille Princeps magni faciebat, quum dicit in libro de alimento ſect. 4. p. 381. „ Natura omnia omnibus ſufficit. “ Nec minori in pretio poſt eum multi alii eam habuerunt. Quot autem diſceptationes circa eiuſdem indolem, num anima appetitiva ſit, vel ſenſitiva, num calidum innatum, an ſpiritus igneus, humidum primigenitum, Archaeus, anima rationalis, tanquam omnium motuum auctor & gubernator, omnéſque in corpore ſuſcitans motus, viguere, & adhuc vigent; mihi ſufficit ſcire, ſummam huius vis vel facultatis, quae nobis ineſt, quaeque in conſervanda ſanitate, & in amiſſa revocanda corpori ſuo quaſi praeſidet, naturam eſſe humanam.

ad bonas integraſve criſes haud proni deprehendantur. *a*)

Veriſſimum tamen eſt, etſi multum fortaſſe temporis a morbi initio elapſum ſit, nullamque certam legem natura obſervaverit, plerumque benigna reſolutione terminari morbum, imo ſaepius obſervavi, ſtata periodo & certo dierum numero tales aegros judicari; etſi in aliis neque coctionis neque criſeos leges obſervaret natura. Non inutilem itaque etiam in hac febre criticorum dierum conſiderationem puto, quum coctionis atque criſeos legitimae haud incapax ſit. Aliquando ſuccedunt metaſtaſes ad oris cavitatem, ad glandulas, ad coccygem, & nares. Aliis inſenſibili modo ſine viſibili aliqua evacuatione morbus ceſſat. Exanthemata, quae ad hos morbos quandoque ſpectare ſolent, ſeptimo, nono, aut undecimo die; aut tardius ſaepe, ſive ſymptomatis inſtar, ſive per imperfectam criſim, ubi penitus non ablata ſit febris cauſa materialis, niſi intercurrente vel ſubſequente ſaliva multa copioſa, aut urina craſſa ſimul ſubſidente, erumpere ſolent.

---

a) Vid. cl. SELLE l. c. p. 271. BRENDEL. l. c. de paraphrenitid. cognat. & febre maligna §. 83.

Aliquoties diarrhoeam coniunctam habet, quae ſymptomatica eſt, & niſi complicatus ſit morbus, raro tolerabiliorem reddit; periculoſae vero habentur deiectiones tenues, crudae, atque colliquativae. Atque hoc, quantum ad finem noſtrum facere videntur, quaeque argumento noſtro ad ſtabiliendum antiquae obſervationis cum illa recentiorum conſenſum inſervire poſſunt, ſufficere reor; quanquam haud negandum, plura melioraque proferenda fuiſſe.

Sed promiſſi noſtri adhuc memoribus, nequaquam hoc loco nobis praetermittere licebit, quae in tanta rerum ambiguitate veriſimilitudinem quandam continere videntur, virorumque in obſervando caeteroquin exactiſſimorum nonnulla, quibus minus certe conſtat, quaenam tam graviter laedere poſſit functiones nervoſas cauſa.

Cadavera in febri ſimili defuncta compluribus quidem obſervationibus exhibuere variam colluviei ſanguineae vim, unde a WILLISIO, *b*) HOME, *c*) & PRINGLE, *d*) creditum fuit, a ſanguine ad cerebrum collecto, hunc

---

b) De morbis convulſiv. p. 51.
c) Princip. med. p. 77.
d) L. c.

morbum obſtiri: ſed incertum eſt, iſtane colluvies circa mortem demum, an protinus a morbi initiis collecta, & denuo potius pro effectis virium vitalium deficientium habenda fuerit? Huic enim cogitationi maxime favent laxitas, pulſus contractus, parvus & debilis, in hiſce morbis deprehenſus, urina aquoſa, tenuis, pallida; *e*) nulla inflammationis ſigna, & demum noxa a ſanguinis miſſione. Neque veroſimillimum eſt, eius cauſam in mucoſa, viſcidaque colluvie, primas vias aeque ac reliquum corpus obruente, atque acritudinis, aut corruptionis gradum quendam adepta, ſecundum GLASSIUM, *f*) aut ſecundum eximium SIMSIUM, *g*) qui ad gaſtricas referre videtur febres nervoſas, ponendam eſſe: quum, ubi haecce conditio reperiatur, morbi complicationem, quae ſive ab anni tempore, aliave cauſa vitium traxerit, potius ſiſtit. Quid igitur tum? feliciores fortaſſe in conſtituenda proxima huius febris cauſa fuerunt illi, qui varie

---

e) „ Urinam albam uti aquam, extremum debilitatis ſignum eſſe. “ Galenus dicit in libro I. de criſibus.

f) L. c.

g) Bemerkungen über epidemiſche Krankheiten p. 150.

depravatum humorem lymphaticum accuſarunt, quod metaſtaſes illae, quae in glandulis occurrunt, & evacuationes per ſudorem, urinam, ſalivam, ulcera artificialia, imo interdum gangraenam ipſam, quibus depravatus humor e corpore eiiciatur, lentore aliave peregrina qualitate imbuta, quodammodo comprobare videntur. *b*) Praeterea a vitioſa illa lympha, vim ſuam in nervos inferente, mirabiles illi effectus facile explicari poſſunt. Duplex autem eſſe poteſt, vel quia copia excedente, inque nervorum vaginis ſtagnante, nervi comprimantur, vel quia ab eadem acri reddita, nervea filamenta irritentur, divellenturque; hinc dolor multiplex, aliuſve cuiuſcunque moleſtiae ſenſus, pro varia humoris indole, loci natura, ſenſibilitatis ratione diverſus ſaepe exoritur, unde ſtupores, ſpaſmi, omniaque ſymptomata nervoſa. Neque minus praecedens valetudinis ſtatus, cauſarumque procatharcticarum in efficienda iſtius humoris depravatione poteſtas huic ſententiae favent. Aegrorum enim docuit obſervatio, qui fragili gaudent ſanitate, quibus maior ſyſtematis nervoſi mobilitas, de-

---

b) Conf. illuſtr. vir. BURSER. de Kanilfeld vol. 1. pag. 256.

bilitaſque, qui vitae genere utuntur ſollicito, qui curis, moleſtiiſque anguntur, qui malo hypochondriaco & hyſterico confliċtantur, qui immodicis deſideriis indulgent, qui ex longa infirmitate debilitatem adferunt, huius generis febribus maxime obnoxios eſſe, neque minus ad hunc morbum diſponere vigilias, meditationes nimis protraċtas, animi pathemata, curam ſcilicet & triſtitiam, *i*) ſollicitudines, nimium veneris uſum, aliaque, quae infirmitatem adducunt; ſiquidem inde ſecretiones atque excretiones difficilius ſuccedant, unde in minimis certe, qui vaginas ipſas nervorum pervadunt, vaſculis, maior lymphatici humoris copia colligitur & vitiatur, nervi tenduntur, premuntur, & ſi aſperando humori aptae ſunt cauſae, ſpaſmodicae affeċtiones proritantur; atque his praecipue, ubi corpus ad morbum valde diſpoſitum fuerit; aëris ſubitaneae viciſſitudines, in quibus nonnunquam cauſa latet, quare & plures eiuſdem regionis, urbiſve incolae eodem tempore epidemice afficiantur, refrigeria, ſudores cohibiti, haud raro anſam

---

i) „ Frequenter a ſolo moerore diuturno febris lenta nervoſa gigni, eſt obſervata. " STOLL tom. 3. pag. 360.

praebent. Verum illa, quae hactenus dicta ſunt, quanquam vero proxima videntur, non tamen eiuſmodi ſunt, quae, quum exiguis haud difficultatibus adhuc omnis de ſyſtemate nervoſo implicita ſit doctrina, omnem auferant difficultatem. Exclamare hinc cum clariſſimo DE SWIETEN nos oportet „ praeſtat, dicente, in morborum cauſis indagandis progredi tantum, quouſque per fidelia obſervata, & cognitam corporis fabricam licet, & in reliquis ignorantiam fateri, quam fictis hypotheſibus, quantumlibet etiam ingenioſis, ludere " *k*)

Ex omnibus tamen concludi poſſe videtur, in nervis ipſis proëgumenam cauſam ponendam eſſe, ſuperveniente nunc levi quacunque cauſa occaſionali, qua peculiare aliquod heterogeneum, quod excernendum, retentum, relictum, & ad nervos iam labefactatos, ipſis intolerabile, traductum; ſive id in traſpirationis imminutione, ſive in oberrante, deficiente naturae robore praeparanda, commodioraque in corporis loca deponenda, arthritidis materia, aliove quocunque fomite ponas, quo nervi

k) Vid. l. c. ad §. 755. pag. 528.

nervi propius afficiuntur, febris excitatur, & ex utriuſque confluxu proxima oritur cauſa.

Reſtat, ut paucis de harum febrium complicatione aliquid dicam. Illorum enim, ſive lentarum, ſive acutarum genera praeter ſymptomata ipſis propria non raro coniuncta habent ſigna bilioſae, putridae, aliuſve febris. *l*) Conditio haecce complicata ſive in diſpoſitione, ſive in genio epidemico latet; ſic videmus, primas vias nunc colluvie quadam pituitoſa, bilioſa obrutas, nunc vermes inteſtinales, nunc ſigna putredinis adeſſe, quae vel ſimul cum colluvie bilioſa, vel deficiente bilioſarum ſordium colluvie humores contaminat.

Rariſſime autem, praecipue in lenta maligna, cum comitante aliqua phlogoſi, complicatio locum habet, raro enim ſanguinem, ratione molis aut maſſae, abundantem tales ha-

l) Conferre de harum febrium complicatione poterunt cl. FINKE de morbis bilioſis anomalis p. 101., cl. MERTENS Beobachtungen der faulen Fieber p. 60. & cl. SCHROEDER. l. c. in diſſ. de viribus naturae debiliorib. &c. §. 16. qui ſequentia habet: „ ipſo autem rerum uſu edocemur, huius indolis febres, quas forte phreniticas & paraphreniticas vocamus, vel melius generaliori acutiorum nervoſarum nomine comprehenderemus, frequenter ſimul ex genere eſſe bilioſarum, neque putredinis humorum nunc maioris nunc vero minoris coniuncta indicia habere. “

bere videmus, & ſi quandoque aliquid ſanguinis phlogoſeos mixtum fuerit, tunc non niſi parva quantitate, & maxima cum cautione ſanguis mittendus eſt. Neque minus morbi exanthematici febriles, qui pro temperamentorum, aetatum, aliarumque circumſtantiarum diverſitate, modo huius, modo illius febris characterem induunt, quandoque nervoſam indolem mentiuntur; id genus conſortii in morbilloſo & varioloſo ſaepius vidi morbo.

Quaecunque vero haec ſit complicatio, pro febris cauſa proxima haberi nequit, *m)* in deturbando vero morbi decurſu, aliiſque ſecundum rationem nec evenientibus ſymptomatibus producendis, permagnam habet poteſtatem, & graviora complura ſymptomata reddit.

Inveſtigatis nunc breviter iis, quae harum febrium naturam & indolem quodammodo ob oculos ponunt, quaeque praemittenda omnino videbantur, antequam de ipſis morborum hiſtoriis agerem, operam dabimus, ut in hiſtoriis ipſis plenius adhuc eluceat ſimilitudo, quam habent cum illis, quae maligna dixit phaenomena HIPPOCRATES, & luculentius innoteſcant ſigna peculiaria & propria, in quibus, etſi multa deſiderari non ignoro, nuſquam vero iis fidem deeſſe, confirmo.

m) SELLE l. c. p. 267.

FEBRES LENTAE MALIGNAE,

VEL

NERVOSAE.

HISTORIA I.

Femina annum agens viceſimum octavum, nervorum genere delicato, ſenſibili, & ad animi pathemata propenſione praedita, coloris pallidi rubri, habitus laxi, poſtquam ter iam utero geſſerat, quarta vice ſub autumni finem 1781 poſt laborioſum partum infantem enixa eſt, quem lactaverat ipſa.

Ob calamitates quaſdam domeſticas diuturno moerore afflicta, menſe Ianuario 1782 de laſſitudine, capitis dolore, & peculiari artuum debilitate conqueſta eſt.

Die 9no Ianuarii ex praeconcepta opinione, plethoram in cauſa eſſe, chirurgus accerſitus phlebotomiam inſtituit.

Die 11mo Ianuarii quum meum implorabatur auxilium, conqueſta eſt de levibus quibuſdam frigoris & caloris viciſſitudinibus,

ſa, ita ut in lecto manere cogeretur, conquerebatur. Pulſus frequens, celer & parvus. Lingua rubra & humida. Urina tincta, nullis contentis ſaturata. Alvi excretio naturalis. Propinabatur ex ſpiritu Mindereri, & aqua florum ſambuci potio. Verſus veſperam motus febriles, & anxietas magis urgebant.

Die 15to noctem tranſegit nonnihil inquietam inſomniis & vigiliis interruptam. Lingua arida, ex ore producta, tremebat, & cutis inaequali ſudore madebat. Tuſſis ſicca, vexans, fruſtranea, & titillans, pectus ſaepe quatiebat, & fauces cum deglutitionis difficultate quaſi ſtringebantur. Mens erat perturbata, hinc ſecum obmurmurabat, & difficilia intellectu proferebat. Praeter linctum ex oxymelle cum ſulphure antimonii aurato, mixtura ſimplex cum camphora adhibebatur, & veſicatoria ſuris apponebantur. Sub noctem febris intenditur, cum magnis pectoris oppreſſionibus, quibus demum tendinum ſubſultus, & leves totius corporis convulſivae concuſſiones acceſſerunt. Noctem ſub faciliori tuſſi, & panxilli ſimul muci exſpuitione quiete tranſegit, ſuperveniebat ſudor copioſus univerſalis: laſſitudine tamen artuum, & cephalalgia ſuperſtite.

Die 16to & 17mo Ian. ſymptomata etſi

multo mitiora, in lecto aegra non manebat, & leniſſime in domo deambulabat, nondum tamen penitus ſublata ſunt. Eam quippe denuo vexabant vigiliae, capitis dolor, & ad dorſum, genua, & brachia, obſcurus quidem & gravans dolor. Pulſus tardus, debilis & inaequalis. Praeſcriptum eſt corticis peruviani decoctum, cui aliquot ſpiritus Mindereri unciae addebantur.

Die 18vo Ian. manentibus ceteris, maxime queſta eſt de praecordiorum anguſtiis, quae poſt aliquot horas ſine evidenti aliqua ratione prorſus evanuerunt. Urinae, uti & coloris nullum vitium. Lingua ſatis humida. Ob alvum adſtrictam clyſma applicari iuſſi.

Die 19no Ian. nox fuit ſine ſomno. De praecordiorum denuo anguſtiis, & cephalalgia conquerebatur aegra. Pulſus parvus. Lingua tenui muco obducta. Circa veſperam omnia exacerbantur. Membra enim tremere & convelli incipiunt, accedebat delirium, ita ut interrogantibus confuſe reſponderet. Stragula, quaſi calore ureretur, abiiciebat, qui vix tepidus, mediocris, naturali tamen intenſior percipiebatur. Pulſus celer, debilis, & ſudor levis inaequalis. Adhibita ſunt moſchi grana decem, & camphorae grana duo; & quidem

omni bihorio talem ſumebat pulverem. Sub medio noctis, poſt mediocrem aequalem ſudorem, ſequitur ſomnus, ſilent convulſiones atque tremores.

Die 20mo quieta in lecto cubat. Urina, ex qua parum ſubſidebat, erat turbida. Pulſus mollis, aequalis. Cutis humida. Alvus obſtructa enemate denuo ſollicitabatur.

Die 21mo Ian. mane, poſt inſomnem tranſactam noctem, evomuit viſcida ſputa. Phlogoſes & aeſtuationes faciem occupabant, quum corporis extrema frigida, & pulſus inaequales & celeres percipiebantur. Sub veſperam, omnibus ſenſibus quaſi orbata, ſtupida iacebat. Aliquot vini hauſtus, & potio ex radice valerianae, ſerpentariae virginianae, & liquore cornu cervi ſuccinati confecta exhibebatur. Ulcera cantharidum exſiccata renovabantur.

Die 22do Ian. nocte per aliquot horas ſomno indulſerat. Horripilationes vagae. Praecordiorum anxietas. Pulſus celer, debilis. Urina pallida.

Die 23tio Ian. puſtulae miliares albae liquore lymphatico repletae in pectore, brachiis, dorſo, & reliquis etiam corporis partibus efflorescebant.

Die 24to ob ingruentem pectoris oppreſſionem, reſpirationem ſuſpirioſam difficilemque, veſicans pectori adplicabatur.

Die 25to Ian. delirantem, febricitantem, reſpiratione anxia, lingua arida, parvo, duro & frequenti pulſu deprehendi aegrotam. Ab adſtantibus reſcivi, veſicatorium pectori oppreſſo egregie ſuccurriſſe, illaeſa enim & indolente reſpiratione per vices indormiebat, & tranquille noctem tranſigebat. Praeterea referebant, auroram verſus copioſa ſponte per alvum reieciſſe liquida aegram; ad hanc compeſcendam vicina matrona vinum uſtum, cui nux moſchata fuit indita aegrotae propinabat, quo avide & plus forſan, quam mandaverat ipſa matrona, aſſumpto, alvus ceſſabat, indeque omnia recruduere. Praeter deliria enim, & febris incrementum, abdomen dolebat, & anxietatibus premebatur. Cognito eo errore, ſtatim propinavi tincturam rhei amaram, clyſmata, & fomentationes ſuper abdomen applicabantur. Alvus proliciebatur cum aliquali aegrae euphoria.

Die 26to, & 27mo Ian. alvus mucoſa, neque difficilis. Non multum tamen afferebat levaminis.

Die 28vo Ian. & conſequentibus diebus

ad diem uſque ſextam Februarii remedia ſumpſit nulla moroſiſſima aegra. Loqui aut moveri piget. Noctu dormiens interruptam nonnihil habet quietem, & hinc inde in lecto ſe iactitans, neſcia ob quam cauſam. Linguae conditio perinde ac in ſanis, ſed pulſus parvi, & vibrati cum aliqua celeritate. Sudores breves. Urina naturalis, nonnihil turbida. Alvus clauſa, parum vel nihil eiicit. Exareſcunt miliae. Ulcera artificialia copioſum adhuc ſuppeditant pus. Virium imbecillitate in diem accreſcente.

Die 6to, 7mo, 8vo, & 9no Febr. aegram aſſidue ſed mitius delirantem inveniebam. Lingua areſcebat ſine ulla ſiti. Pulſus interdum omnino latebat, interdum prodibat, ſed parvus, intermittens. Blandis hortatibus propinatum corticis peruviani, & ſerpentariae virginianae decoctum, cuius colaturae camphorae ſcrupulus ſaccharo tritae adiungebatur, parce ſumpſit.

Die 10mo Febr. media nocte parum riguit, febricitavit, & ſua haud intermiſit molimina actuoſa natura; dum metaſtaſi ad fauces facta, puſtulae aphroſae oris ambitum internum, & linguam obſidebant, unde matutinis horis de laeſa deglutitione, ſumma oris

ſenſibilitate, & ſiccitate conquerebatur aegra. Adhibebantur collutiones oris detergentes cum melle & borace. Remiſerunt quidem nonnihil ſymptomata, & ſatis bene adhuc valere videbatur; febris tamen perpetuo duravit, non ſoluta per aphtarum depoſitionem, per cutis poros, aut per alias vias, quas tentaverat interdum natura; & ſic ſine novis ſymptomatibus, aut gravioribus inſultibus ſub tolerabili adhuc conditione, & corticis peruviani uſu, ſive his vel illis ſecundum circumſtantias admixtis medicationibus ſequentes dies tranſegit ad diem 24tum Febr., quo ſub noctem febris exacerbata eſt cum deliriis, & gravioribus ſyſtematis nervoſi perturbationibus. Varia enim phantaſmata & incondita cogitata mentem perturbabant, varia interdum ridicula proferebat, hinc inde volvendo & iactitando ſe varie continuo inquietaverat, & lintea carpebat.

Tremere totis artubus incipiebat, atroces inſultus epileptici ſuperveniebant, & poſtquam totum corpus aliquamdiu, atque ad horae dimidiae ſpatium convulſum fuerat, ſpaſmi remittebant. Subito vero recruduerunt priſtinae iſtae ſpaſticae adfectiones, atque ſic alternando haec cuncta proceſſerunt ultra quatuor horas. Eo ex tempore delirium, & motus iſti con-

vulſivi evanuerunt, & ſudore copioſo univerſali ſuperveniente, per quinque horas exoptata quiete dormivit. Rebus ſic deſperatiſſimis, veſicatoria brachiis applicabantur, pulveres vero ex camphora, moſcho, & ſerpentaria virginiana vomitu reiiciebantur. Sequenti die omnia quieta erant. Lingua humida. Pulſus regularis, ſed tardus. Urina turbida ſecedens. Alvus ſponte ſua reſpondebat. Mentis actionumque vero adhuc ſupereſſe videtur confuſio. Rogabat aegra, ne adhuc multa medicamenta aſſumere cogeretur, atque deſideratum ſtomachale remedium ex corticis peruviani extracto ſumebat. Per plures dies nunc adhuc ſudavit. Convaleſcere, vireſque reſtaurari incipiebant, ita ut poſt menſem plenarium recuperaret ſanitatem.

Morbi hiſtoriam per ſingulos dies accurate perſecutus ſum, & ex concurſu ſymptomatum, atque decurſu morbi, hanc febrem ſub nervoſae, vel malignae lentae nomine venire poſſe, exiſtimavi. A natura enim laxiori tenera ſtructura inſtructa, ſyſtemate nervoſo magna ſentiendi facultate & irritabilitate praedito, gaudebat. Per lactationis tempus ſe lacrymis & triſtitiae tradens, infirmitatem, atque debilitatem ſibi adtulit aegra. Morbi initiis evacua-

tione ſanguinea inſtituta, quum vis vitae iam fuit deiecta, infirmitatem hance auxit *a*). Praecordia ſine manifeſta cauſa dolebant, quum nulla adfuerunt ſordium primas vias inquinantium, nulla, quae ad biliosa, ad putrida, vel inflammatoria referre potui ſigna. Emeticum enim nihil humoris corrupti elicuit, vix ullum levamen produxit, & ſanguis initio morbi miſſus ſanorum ſimillimus erat; cui rei admodum fallaci non multum tribuendum equidem ſcio, quum contingit non raro, ut in diatheſi inflammatoria, *b*) pleuritidis initio, aliuſve inflammationis, in ſanguine detracto nulla appareat ſanguinis cruſta, nihilque a naturali deflectat craſi ſanguis, teſtibus clariſſimis viris, & praecipue ill. de HAEN cum inquit,

a) Praeter cl. HUXHAM., qui l. c. T. 1. p. 171. & T. 2. p. 83. a ſanguinis miſſionibus in huiuſmodi febribus abſtinere ſuadet, triſtiſſimos a talibus evacuationibus effectus per obſervationes abunde confirmatos reperimus apud cl. MAYER Abriſs der Epidemie zu Jena p. 21. & cl. SELLE Neue Beyträge 1. Theil p. 72.

b) Diatheſin ſanguinis inflammatoriam ab illa inflammatoria diatheſi generatim dicta, quae non ad fluidas tantum, ſed etiam ad ſolidas partes pertinet, diſtinguendum eſſe, bene monet cl. BURSERIUS l. c. Vol. 1. in commentariolo de infl. p. 45.

„ nonnunquam ſanguis initio febris acutae, aut etiam topicae inflammationis miſſus cruſta caret, habetque eandem aut in altera, aut in tertia, aut in quarta venaeſectione. Imo in morbis maxime inflammatoriis in nullo ſanguine, quotieſcunque miſſo, aliquoties cruſta ulla eſt. “ *c*)

Noſtra autem in aegrota certioribus ex notis iudicium tulimus, & pro ſymptomatum continuatione, aegrae temperie, & viribus, nullus ſanguinis miſſionis, nedum repetendae locus erat. Calor naturali perſimilis erat, pulſus aliquando naturalis, aliquando debilis, inaequalis, ſub digito ſaepe quaſi evaneſcens. Conſtans in morbo fuit nota agrypnia; atque nullum fuit ſymptoma de quo magis querebatur aegra. *d*) Sine ullo in bronchiis, aſpera arteria, larynge, & faucibus, cauſae veſtigio, faucium praefocatio, titillatio obſervabatur, & poſt inſignem tuſſiendi conatum parciſſimus mucus ſereatu expellebatur; hinc dubitari non poteſt, quin ſpaſticae harum partium affectioni cuncta haec ſymptomata tribuenda fuerint. *e*)

---

c) Ratio med. P. I. cap. 6. p. 74. Vid. etiam cl. STRACK. nov. theor. pleuritid. verae &c. aegrot. 7. & 8. &c.

d) Conf. cl. SELLE l. c.

e) Haud raro in malignis febribus talia evenire do-

Symptomata non conſonabant, nec reſpondebant ſignis, lingua enim fuit ſicca, nulla tamen ſitis excitabatur. Pertinax morbus fuit, in longum protrahebatur, nullumque certum typum ſervabat. Quae 15to, & 19no quinto & nono nempe morbi die, (quando initium ab horroris vel frigoris illo ſenſu conſtituamus, *f*) criticis diebus in noſtra aegrota obſervata ſunt, pro conatibus ad criſes habenda ſunt, quae, quia nondum ad exitum parata eſſet materia morbifica, vel quia vires ad hoc negotium non omnino ſufficerent, imperfectae erant criſes. Ab efflorescentiis miliaribus decimo tertio ſupervenientibus, nullum habuit levamen. Diarrhoea, nullo apparatu crudo in

---

cent practicorum obſervata; hinc ſaepe laudatus BRENDELIUS l. c. in diſſert. de cognat. paraphrenitid. & febrium malign. §. 7. ſequentia habet, „ hoc ſenſu meri cuiuſdam ſpaſmi, deliriorum indice, & comite, credibile eſt aegrotos impelli ad frequentes iſtas ſecretiones, ſputationeſque exigui atque tenui humoris. Sputa rotunda paſſim HIPPOCRATES vocat phreniticis & paraphreniticis perſaepe communia. "

f) Conf. quid cl. BRENDEL. de hoc ſenſerit l. c. §. 5. „ Algor namque aliquis, dicit, qualiſcunque fuerit, rigor an horror febrium ipſa initia conſtituit omnium, quod non uno loco veriſſime iam HIPPOCRATES monuit. "

inteſtinis ſtabulante, decimo quinto producta, inepto ſane conſilio ſublata, quanquam illam ad naturae imitationem moliebar deiectionem, & lenta per triduum alvus fluebat, ſymptomatica fuit, quum nullam per has vias paſſa eſt iudicationem febris. Neque minus a depoſitione illa aphtoſa 31mo prodeunte iudicabatur aegra; ſed requirebatur aliud quid, quo materia morbi critica evacuatione quadam expelli debuerat, quod die 45to factum eſt: *g*) ubi integre iudicatus fuit morbus copioſo ſudore univerſali, praegreſſis prius imperfectis criſibus aliis diebus criticis & dein recidivis. *h*)

Non omnes vero morbos, qui febrium nervoſarum vel malignarum nominibus comprehenduntur, manifeſta ſemper evacuatione ſolvi, ſequens hiſtoria confirmat.

---

g) Febres poſt imperfectas criſes in tantam quandoque longitudinem excurrere, patet ex verbis cl. de SWIETEN, inquientis „ febrium continuarum longitudo varia eſt, & ad ſexageſimum aliquando diem extenditur." Vid. §. 109. in BOERHAAV. aphor.

h) Pertinent huc circa febris reverſiones ex imperfectis criſibus HIPPOCRATIS praedictiones. „ Reverſionibus tentantur, quibus circa febrem vigiliae aut turbulenti ſomni adveniunt, aut corporis robur ſolvitur, aut ſingulorum membrorum dolores adſunt. " De iudicationibus p. 54.

HISTORIA II.

VIr tenuis fortunae, 33 annorum, ex obitu filioli cariſſimi moerore confectus, pluvioſa admodum & humida tempeſtate iter faciebat.

Decimo quarto Ian. 1782 ab itinere redux, per quinque continuos dies, dum per aliquot dies catarrhoſa praeceſſerat diſpoſitio, leviter friguit, & caluit. Moroſus, confuſus, nauſeoſus cibos abhorret, & de obtuſo aliquo in praecordiis dolore, laſſitudine, ſomnique defectu queritur. Tertio quum a me opem quaeſiverit die, emeticum ſumſit, quo, praeter viſcidum inſipidumque phlegma, nil reiiciebat. A vomitu ſapor, antea depravatus, bonus, lingua vero mucoſa.

Datum purgans ex ſale amaro & rheo abſque levamine.

Sexto morbi die acceſſit capitis dolor, pulſus celer, parvus, reſpiratio difficilis ſine ulla tuſſi. Decumbebat aeger, quum antea adhuc obambularet. Adhibita potiuncula ex ſpiritu Mindereri additis aliquot nitri antimoniati per inſp. parat. drachmis; ſub noctem veſicans inter ſcapulas ponebatur. A veſicatorio reſpiratio fit facilior, capitis autem dolo-

res

res permanebant. Urina pallida, lingua humida. Pulſus parvus, tardus, & valde contractus. Nulli ſomni. Nullus ſudor. Animi indifferentia peculiaris. Praeſcriptum eſt medicamentum ex cortice peruviano, & ſpiritu Mindereri. Elapſis quatuor diebus, pulſus arteriarum ſunt obſcuri, humiles. Adeſt leve delirium. Augentur adveſperaſcente die deliria. Datum emulſum camphoratum. Elapſo biduo, pulſus elatiores facti, redit mens ſana. Utebatur nunc corticis peruviani decocto. Decimo ſeptimo morbi die per omnia commode valebat. Redit cibi cupiditas. Alvus ſua ſponte liquatur. Noctes, uae adhuc ſine ullo ſomno tranſigebantur, nunc ſunt placidiſſimae. Viribus in dies ſuccreſcentibus.

Ex ſymptomatum, quae in hoc morbo apparebant, & quae cum ex aliarum, tum ex ipſis meis obſervationibus cognovi, ſimilitudine, ad nervoſam febrem hunc morbum referendum eſſe iudicavi. Hanc vero indicabant laſſitudo, cephalalgia intenſa, vigiliae, urinae pallidae, praecordiorum anguſtiae &c. Cuius praeſentiam magis & adhuc innuebat cauſarum manifeſtarum abſentia, quae alias ſimiles conditiones producere valent. Symptomatum quidem exceſſiva truculentia non aderat, perpe-

rua tamen in hoc morbo aut valde frequentia quaedam, quaſi propria, ex quibus dignoſcitur, aderant. In corporis ſtructura praediſpoſitio latere videbatur; gaudebat enim debiliori partium cohaeſione; & laxiori ſtructura. Praeparabat ad morbum vita & triſtitia, & non levis ſe ſe offert ſuſpicio de impedita in itinere perſpiratione, qua morbus ſuſcitabatur. Et cum 17mo morbi die ſine ſenſibili aliqua evacuatione, nunquam enim ſudavit aeger, urina ſanorum ſimilis nunquam coctionis criſeoſque ſigna exhibuit, ſymptomata minuta ſunt, & omnium malorum expers ex voto convaluit; SYDENHAMI effata animo incurſabant. „ Dari nempe quaſdam febrium ſpecies, quas natura methodo ſibi peculiari, ſine viſibili aliqua evacuatione ablegat, reducendo ſcilicet in ſanguinis maſſam, eique adſimilando materiam illam morbificam, quae cum eodem minus quadrabat. " *i*)

---

i) Sect. V. l. 2.

HISTORIA III.

Quidam vir temperamenti cholerico-ſanguinei duo ſupra triginta annos natus, habitus cachectici, infirmi, rectae diaetae nunquam rationem habens, & ſtudiis operam dans, per longum iam tempus doloribus vagis, iam gingivas, iam buccas, iam cervicem, nucham & occiput occupantibus cum aurium tinrinnitu fuit cruciatus. Ceterum ſatis bene valuit, neque ullo morbo afflictus erat. Tandem ſexto menſis Maii die 1783 veſperi cubitum concedens, praegreſſa artuum laſſitudine, horrore, atque calore obreptus eſt, noctemque inſomnem tranſegit.

Mane ſequentis diei, quam meam imploraret opem, crucians capitis, praecipue cervicis & occipitis, dolor adfuit rheumaticus. Lingua alba, & ſordida; inappetentia, & alvi obſtructio.

Omni bihorio pulvis dabatur ex granis decem rhabarbari & ſcrupulo magneſiae, & poſt aſſumptos tres tales pulveres ter alvum deiecit.

Die 8vo Maii lingua ſatis bona. Continuat tamen intolerabilis dolor nuchae, qui

verſus veſperam ingraveſcit. Per vices horroribus caloribuſque afficitur.

Pulſus in omnibus mediocris eſt, celerior tamen & debilior, quam naturaliter eſſe ſolet. Urina pallida, pectus oppreſſum. Febris ingenii adhuc eram incertus, ſed tamen, ut, quum nulla gaſtricae ſaburrae indicia aderant, & nocte praecedente pauliſper ſudaverat aegrotus, indicationi quodammodo ſatisfacerem, ſpiritum Mindereri cum infuſis theatibus ex ſambuci floribus adhibere coepit. Symptomatum analogia aegrotus & adſtantes morbum ex illa febrium familia, quae catarrhalium nomine inſigniuntur, eſſe exiſtimarunt.

Sanguinis miſſionem, quam alii ſuadebant, alii ob praeconceptam opinionem catarrhi ſpeciem ſemper eandem arbitrantes, & nunquam in catarrhalibus morbis convenire venae ſectionem, damnarunt, valde iniquam iudicavi; quum pulſus, & habitus corporis non exigere videretur, ſingulariſque ſyſtematis nervoſi debilitas me deterreret: hinc & ob atrocem cervicis dolorem, veſicatorii inter ſcapulas applicationem ſuadebam; quod vero non concedebat aeger.

Poſtero die dolores denominati decrevere, aegrotus tamen valde pertaeſus, languidus,

pallidus, horrores, tremoreſque perſentiſcebat, & de inſomnia, vertigine, praecordiorum anguſtiis, memoriae debilitate conquerebatur.

Evidentibus nunc cauſis non admodum conſpicuis, & aegroti conſtitutionis, & cauſarum proëgumenarum indolis ratione habita, certius, & magis definitum malignae febris augurium mihi erat. Aegrotum periculi non expertem eſſe adſtantibus ſtatim declaravi, qui quidem, quia primo intuitu ad ſpeciem febris mitis erat, aegrotuſque obambulabat, monita mea deridebant.

Die 10mo Maii diarrhoea oboritur, cui ſedandae, quum iam debilitatus fuerit aegrotus, nulla primarum viarum affectarum ſigna apparuerint, linguaque ut in ſanis fuerit, rhabarbarina, cum gummi arabico mixta, praebebantur.

Die 11mo & 12mo Maii de languore, anxietate, ſpiritus trahendi difficultate & aurium tinnitu conqueritur. Maximam tamen diei partem extra lectum ſe continet. Praeſcripta eſt mixtura diaphoretica ex Mindereri ſpiritu. Nocte nihil dormivit, frigidumque ſudorem ſudavit.

Die 13tio Maii taciturnus, triſtis, anxius, laborioſe incedit. Urinae tenues & de-

colores. Pulſus parvus. Diaphoreticae mixturae camphora addita erat.

Die 14to ſingultantem, lucem fugientem, viribus exhauſtum, placideque delirantem, pulſu tremulo, inaequali, atque poſt aliquot pulſationes intermittente, ſurditate atque ſtupiditate correptum inveniebam aegrotum. Alexipharmacam potionem ex radice valerianae, radice angelicae, camphora, & liquore cornu cervi ſuccinato propinavi, & veſicatoria ſuris appoſui. Circa veſperam delirium, tremores, tendinum ſubſultus, convulſiones. Omni bihorio per vices datae ſunt pulveres e moſcho. Inter aſſiduos tendinum ſubſultus, ſingultus, & inaequales ſudores, vigiliis aſſiduis, & iactitationibus noctem exegit.

Die 15to remiſit quidem ſingultus, valde tamen ſoporoſus, deliriis obſcuris, oculis caliginoſis decumbit aegrotus. Serpentariam moſcho adiunxi. Vinum rhenanum dedi, & alvo ſtipatae clyſmate ſuccurri iuſſi.

Die 16to poſt noctem inſomnem omnia recurrebant incommoda. Singultus enim toto inquietabat aegrotum die. Totis artubus tremebat, linguam aridam, rubram, trementem premere non valebat. Vires admodum collapſae; pulſus adeo debiles & celeres, ut vix

diſtingui queant. In hac rerum conditione adhibitum eſt vinum, & pulveres, qui continebant ſalis cornu cervi grana duo, camphorae grana tria, & valerianae ſcrupulum unum; atque his effectum eſt, ut tremores, & ſingultus ſub veſperam emanſerint, nocte ſedate per vices indormire coeperit, & tandem verſus auroram.

Die 17mo, quum ab ingruente morbo totas noctes inſomnes inquietaſque tranſegiſſet, quatuor vel quinque horis ſomno non interrupto, levi manante ſudore, efflorescentiiſque miliaribus erumpentibus, indulſerit. Morbum vero non iudicatum eſſe praeſagiebam; quum evigilans mente deiectus adhuc deliraverit, & ſomnus non multum recreaverit.

Die 18vo nox non ſine ullo fuit. Sui magis conſcius, querebatur de calore, ſi tangeres, vix percipiendo. Alvus non reſpondens, iniecto clyſtere, ſollicitabatur.

Die 19no poſt miſere tranſactam noctem, & brevem ſomnum matutinis horis captum, mente quidem conſiſtere videtur, ita ut de multis, variiſque concinne atque ex ordine loqueretur, animi tamen, qui nullis plane perſuaſionibus erigi poterat, quaedam inquietudo aegrotum interturbabat. Circa meridiem

eiuſdem diei alvus leviter fluens, ſenſim in tantam mutata diarrhoeam, qua multus tenuis mucus reddebatur, & aegrotus viribus iam iam exhauſtus, miſereque emaciatus, ita debilitatus eſt, ut omnem convaleſcendi ſpem, futuramque recuperandi ſanitatem plane omiſerit. Mixtura ex aquae cynnamomi cum vino unciis ſex, gummi tragacanthae drachma una cum ſemiſſe & laudani liquidi Sydenhami guttulis viginti quinque, modicis diviſiſque doſibus, exhibebatur; extus fomenta ex millefolio mentha &c. vino rubro incocta abdomini ſuperimponebantur, & clyſmata ex decocto corticis peruviani & vino rubro iniiciebantur; pro potu concedebatur vinum aqua dilutum, in quo ſolutum fuerat arabicum gummi. Hac methodo effeci, ut parum relinqueretur temporis intervallum, quo ceſſaverit diarrhoea, & eadem adhuc veſpera alvus plane comprimeretur. Ipſo eodem die adſtantium quis, maculam nigram in aegroti dorſo ſe vidiſſe referebat. Quum ego accerſitus locum mihi ſuſpectum examinarem, obſtupui plane: Circa os enim coccygis & ſacrum in partibus mollibus his oſſibus impoſitis, latae manus ſpatio extenſis, corruptis, nigris, aridis, & quaſi fumo induratis, maculae iſtius ambitus adhuc vivus & integer, pallidus fuit & non multum doloroſus.

Magis & obſtupui, tam cito gangraenam ſubſecutam; per quinque enim modo dies decumbebat aeger, ſitus corporis, quantum ob ſummam aegri debilitatem fieri potuit, ſaepius mutabatur, hinc non erat, ut opinor, cur decubitus argueretur. Partibus gangraenoſis mortuis ſine ullo dolore ſcarificatis, cataplaſmata applicavi ex cortice peruviano, ſapone, ſemine ſinapis, & ſalvia. Annulus ex linteo convolutus, molliſſima aluta obductus, corpori ita ſupponebatur, ut partes gangraenoſae ab omni compreſſione liberatae eſſent: & quum, uti antea dictum, advesperaſcente die, alvi fluxus prorſus ceſſaverit, mutata medicina, interne cortex peruvianus, caſcarillae, & ſerpentaria virginiana decocti forma in auxilium vocabantur. In ſequenti nocte quies & ſudor.

Die 20mo autem denuo delirabat. Pulſus citatiores. Urina tincta. Lingua ſicca. Medicamenta, uti priori die. Praeterea inciſiones ulteriores non omiſſae fuerunt; plagas enim fecimus rectas, tranſverſas, maiores & minores. Sub veſperam exacerbata eſt febris, quae in mediam uſque noctem protrahebatur cum deliriis intenſioribus, & ſupervenientibus ſudoribus largioribus diſceſſit.

Die 21mo mane mens ſana. Expuitio ſi-

mul ſalivae copioſae. Sudor; urina turbida, in qua multum ſubſidebat, & pulſus aequabilis.

Morbum poſt ſalutares haſce evacuationes iudicatum eſſe praevidebam. Praeter hactenus recenſita ſigna ſalutaria, cruſta gangraenoſa depreſſior, contractiorque fiebat; ulceris orae intumeſcebant, rubebant, & gangraenam ſtare ſignificabant. Largam nunc corticis peruviani in ſubſtantia, & in decoctis quantitatem, & moderatum vini rhenani uſum adhibui. Externe autem cruſtis conciſis, diductis, lateque patentibus plagis linimenta ex unguento baſiliconis & aegyptiaco, cortice peruviano mixtis, applicavimus. Linteola corticis peruviani decocto, cui ſal ammoniacum & acetum vini adiiciebantur madefacta, ſuper id, quod emortuum erat, imponebantur, & cataplaſmata emollientia ex farina, floribus chamomillae, ex lacte cocta ſuperdabantur.

Diebus 24. 25. 26. 27. ſenſim ceſſabat ſalivatio, urina ſedimentum conſtanter dimittebat, vires cortice peruviano, vino rhenano magis magiſque erigebantur, iura carnium tenuia, addito ſucco citri, corpus bene nutriebant, & cruſtae emortuae quotidie excidebantur. Miranda certe ulceris amplitudo, atque latitudo, a convexitate enim oſſis ſacri ſuper

ligamentum ſacro-iſchiaticum, & ſuper nates ſiniſtras deſcendebat, ibique ad longam atque latam manum & pollicis altitudinem totam cutem, & intercutaneam adipem corripuit. Die 28vo ſupetveniente febricula, male ſe habere aeger videbatur; exhibitis vero pulviſculis ex cortice peruviano & rheo, quibus alvus clauſa ſolvebatur, evanuit febricula. Gangraenoſis cruſtis nunc magis magiſque reſolutis, & ulcere bene ſuppurante; eſſentia vulneraria, ſcordii, myrrhae, oleum terebinthinae imponebatur.

Infundi quoque ſyringe ope decoctum ex cortice peruviano, caſcarillae, & myrrha iuſſi. Orae autem ulceris digerentia ſunt impoſita. Magna quoque adipis corruptae atque reſolutae quantitas quotidie eximebatur. Vulnus rubidum puriuſque fiebat, humorem exſudabat, & undique caro granulis adipoſis ſimillima ſuccreſcebat. Omnia nunc in melius vertuntur, abſceſſus, firmiore carne propullulante, ſenſim anguſtior evadebat, vulnus impletur, & corporis robur, pedum etiam oedemate, quod ſub ultima morbi tempora acceſſerat, depulſo, in dies mire increſcit; ita ut, vulnere quamvis tarde etiam coaleſcente, ad hunc uſque diem perfecta gaudet ſanitate.

Si quis ſine praeiudicata opinione ſingula ſymptomata conſideraverit, confiteri cogetur, proximam huius febris cauſam neque inflammatoriae diatheſi, neque cacochyliae putridae aut bilioſae, aut cuiuſcunque alterius generis primis viis inſidenti, aut ſanguinis putridae liquationi tribuendam fuiſſe. Gangraena quidem, qua praeſente, ſanguis diſſolutus, & febris putrida adeſſe dicitur, huic propemodum opinationi favere videtur, reliqua tamen ſigna putridarum propria, plane deficiebant, & quae in uno genere veriſimillitudinem quandam continent, in alio etiam probabilitate carent. Adſtipulatur mihi experientia doctiſſimi SELLE, qui puſtulas gangraenoſas, quas in ſimili febri vidit, ſolas ad febrim putridam indicandam ſufficere negat, & has potius a ſyſtematis nervoſi affectione ortas fuiſſe confirmat. *k*) Nervoſam vero ſyſtema praecipue adfectum fuiſſe, & ad malignarum febrium genus pertinere ex ſignis videre eſt, & ex cauſis prcëgumenis, praegreſſis ſymptomatibus, & ipſa aegri conſtitutione facile concipi poteſt.

Praeter habitum corporis infirmum, ſtudiis

k) L. c. pag. 87.

vigiliiſque nocturnis animi & corporis aeger ſibi contraxit defatigationem. A multo iam temporis ſpatio doloribus rheumaticis, vel has vel illas partes occupantibus, conflictabatur, unde ſyſtematis nervoſi ſenſibilitas orta eſt, & quum ingruente morbo dolores ſaevirent, probabile etiam eſt, procatharcticam huius febris cauſam in rheumatica materia ponendam eſſe, quae, ſuperveniente mediocri refrigerio, ubi corpus ad febrem iam diſpoſitum, & natura ad arceſſendam hanc materiam nimis debilitata fuerit, nervis inſidebat, nocebat, indeque aegerrime dimoveri nequiverat: unde febris accenſa pluries exacerbabatur, ſingultus, aliaeque ſpaſmodicae affectiones, moliente morbi materiem expellere natura, originem trahebant.

Puſtulae miliares undecimo morbi die erumpentes morbum non levabant. Deiectiones alvinae decimo tertio ſubortae fuerunt colliquativae, nullaque criſeos ſigna prae ſe ferebant; critica enim evacuatio cum iuſto ſymptomatum levamine, neque ſummo quaſi impetu maximo cum virium detrimento fieri debet, quod abunde ſatis ſummus HIPPOCRATES, & commentator eius GALENUS, docuerunt.

Decimo quinto tandem die morbus plane

iudicabatur, ſalivatione, copioſo ſudore, & urina, quae omnia concurrebant ad ſervandum aegrorum; praevalebat vero ſaliva, *l*) ſubſidiariamque ferebant operam illae reliquae: ita notavit HIPPOCRATES, *m*) narium hemorrhagiam, diarrhoeam, largam urinae hypoſtaticae excretionem concurriſſe ad ſervandos aegros.

Imo & gangraenam ipſam quodammodo criticam fuiſſe, non a vero videtur alienum, & recentiorum obſervationibus confirmatur. *n*) Ex omnibus itaque lucide apparet, magnos errores in methodo curativa nos commiſſuros fuiſſe, quando curationem evacuationibus aggreſſi eſſemus. Nullus hic locus erat evacuationibus ſanguineis, nulla turgentis materiei ſigna aderant, & quidquid alieni morbi initio in inteſtinorum canali haerere videbatur, pharmaco leviter purgante evacuabatur, &, ne iiſ-

---

l) Recte igitur cl. HUXHAM. dicit l. c. T. 2. p. 98. „ Nulla melioris praeſagii evacuatio eſt, quam ſatis copioſa ſalivatio ſine aphtis: ubi haec incidit, & cutis moderate madet, de aegroto meo vix unquam, quam debilis & ſtupidus quoque eſſe videtur, deſpero. “

m) Epid. ibi pag. 983.

n) Cl. SELLE pyretolog. p. 294. & cl. BURSER. l. c. Tom. I. pag. 355.

dem aliiſve continuandis evacuationibus inſiſteremus, ſollicite cavimus.

Alium nunc caſum, quem notatu dignum eſſe credo, narrabo. Per malam enim metaſtaſin ad pulmones delatam, mortemque minitantem, aeger priſtinam recuperavit ſanitatem.

HISTORIA IV.

ADoleſcens 16tum agens annum, tenerioris conſtitutionis, optima alias gaudens ſanitate, ſtudiis & lectioni librorum aſſidue incumbens cum 23tio menſis Auguſti die 1784 aëris iniuriis, tunc temporis maxime humidi & frigidi ſe ſe expoſuiſſet, & multum hinc inde curſitando incaluiſſet, capitis dolorem, nauſeam, appetitum proſtratum, incertos horrores & calores, animi demiſſionem percipit: hinc paucis interiectis diebus, opem meam petiit. Luctui indulgens de flatulentia, cordis palpitatione, laſſitudine, appetitu diminuto, & gravi capitis dolore conquerebatur. Pulſus naturali proxime accedebat. Lingua albida, & urinae tenues erant. Nullae tuſſes, dolores, vel aliae quaecunque morbidae pulmonum affectiones hiſſe ſe aſſociabant. Poſt noctem inquietam mane emeticum ſumſit, unde vomitu, & aliquot

ſeceſſibus ſe ſe exoneravit. Peſſime vero exinde ſe habuit. Nullas alias explorare potui cauſas, quam quas iam expoſui; nulla, quamquam attente primarum viarum ſtatum, ne in diagnoſi errorem committerem, obſervaverim, bilis, pituitae corruptae, vermium, neque minus diatheſeos inflammatoriae aderant ſigna; non amplius itaque de febris nervoſae praeſentia dubitavi. Omnia ſimul mihi complecti liceat, ne hyperbolica amplificatione res exaggerem.

Laſſitudo, torpor, capitis gravitas, quotidie augebantur. Febris erraticarum more exacerbabatur. Mens turbata. Pulſus debilis, parvus, naturali ferme celeritate. Initio poſt aſſumptum vomitorium, mixturam praeſcripſi ex ſalis abſynthii drachmis duabus, ſucci citri portione, quantum ad ſaturandum ſufficiebat, & aquae florum ſambuci unciis quatuor. Alvus adſtricta clyſmate ſollicitabatur, & pro potu ſerum lactis vinoſum dabatur.

Die 27mo quum obmurmuraret, ſubdelirarct, ſtupidus decumberet, oculi perturbati, pulſus debiles, & naturali celeriores, urinae limpidae, lingua ſicca, ſudores inaequales eſſent, & vigiliis vexaretur, exhibebantur ſpiritus Mindereri, camphora, & emplaſtra veſicatoria ſuris apponebantur.

Die

Die 9imo ſupervenientibus animi deliquiis, tremoribus, tendinum ſubſultibus, ſingultu, pulſu parvo, debili, tremulo, propinabatur camphora moſchuſque, & veſicatoria renovabantur. His omnia pacabantur. Et ſic repebat febris, quae nullum certum, aut conſtantem typum obtinebat, cum arteriarum micatibus vix frequentioribus, ſubinde ſpaſticis quibuſdam affectionibus, tremoribus, aut tendinum ſubſultibus, cuti modo ſicca, modo humida, ſudoribus inaequalibus, hic illic conſpicuis, urinis nunc paucis & pallidis, nunc praeter rationem turbidis.

Nocte autem intra undecimum & duodecimum a morbi invaſione diem omnia ingraveſcebant. Brachia enim huc illuc iactantur, manus floccos conquirunt, loquela difficilis, delirium ſubobſcurum, cutis aſſiduo ſudore perfuſa. His acceſſit pectus oppreſſum, reſpiratio difficilis, tuſſis moleſta, exſereatio nulla. Mane ſequentis diei vocatus ex iis, quae mihi referebantur, excepto in reſpirando ſibilo, & levi pectoris oppreſſione, nihil inveni. Mens reſtituta videbatur, & pulſus aequales erant. Propinato oxymelle ſquillitico, & kermete minerali, pituitoſam materiam reiecit.

Et hic manebant ſymptomata, intercedenDelect. Opuſc. Vol. XI. H

tibus quibuſdam temporis intervallis, in quibus recrudeſcebat morbus, reſpiratio praecordiorum anxietatibus ſaepe interciperetur, & pulſus frequentiores, & delirium ſuperveniret.

Decimo quarto tandem morbi die poſt meridiem omnia in praeceps ruunt. Reſpiratio enim, viſcida & tenaci pituita vehementius, & copioſius ad pectus irruente, fit ſummopere impedita. Supervenit tuſſis, anxia aëris captatio. Extrema frigent, & ſudor frigidus fronte emanat. Oculi ſunt perverſi, ſpaſtice invertuntur, & omnibus ſenſibus orbatus decumbit. Subinde tendines ſubſiliunt. Pulſus adeo debiles & celeres, ut vix diſtingui queant. Suffocationis momentaneae metus. Hiſce in anguſtiis, quae valde miſerandum aegri ſtatum, mortemque appropinquantem indicabant, haud nimiam feſtinationem ſecundum CELSI effatum, ſed omnem tarditatem periculoſam eſſe iudicavi. Veſicatoriis enim tum brachiis, tum pectori applicatis, praeter camphoram, moſchum, ſerpentariam virginianam, & theata tepide cum oxymelle ſquillitico, ſulphure antimonii aurato admixto, largiter ſorbillata, grana quinque ſalis cornu cervi cum vino rhenano per vices propinavi. Nec non omnes ſingulique hi conatus, & adiumenta expectationi

ſatisfecerunt. Multa enim reiecit ſputa, erumpit ſimul ſudor copioſus univerſalis, per aliquot horas indormire coepit, & mane ſequentis diei omnia quaſi evanuerunt ſymptomata. Spaſmi enim remittebant, reſpiratio libera, pulſus aequales, urina critica, menſque ſana erat. In uſu corticis peruviani per aliquot ſeptimanas perrexit omnium malorum expers; vires tunc temporis & corporis robur mire increvere, & perfecta adhuc gaudet ſanitate.

Plura huius generis exempla, ubi de tam felici exitu laetari poſſumus, nobis obvia eſſe, rarius forte contingit, dolendum ſane, (ut BAGLIVII verbis utar) „ id quod ſemel ex voto ſuccedit, non ſemper tali modo fieri. " o) Non immerito igitur paucis conſiderandum eſſe reor, quae in hoc morbo eveniebant. Nocte intra undecimum & duodecimum diem ad morbi materiem per ſputi vias exterminandam iam moliebatur natura; quum vero debita adhuc nulla praeceſſerat coctio, & quae apparuere ſputa tenacia mucoſa, & parciore copia fuere; hinc imperfecta criſi facta, & ſub veſperam ſequentis diei critici, novis excitatis

o) Prax. med. lib. 1. §. 7.

turbis, naturae viribus minus ſufficientibus, ut extra corporis maenia proiiceretur morboſum illud virus, determinato verſus pulmones materiae morbificae fluxu metaſtatice illuc delata eſt. Quae niſi cito bona fortuna e loco, quem infeſtaverat, eiiceretur, in locis minus incongruis, eliſo ſpiritu, ſuffocationem, ſubitamque mortem certe provocaſſet.

Sola ſibi certe non ſuffeciſſet natura, quae ad coƈta evacuanda nimium torpebat, niſi medicae artis ſubſidiis aegroti vires nimium languentes ſtimulantibus erigerentur, atque ad exſpuitionem exitarentur. Huic vero remedio ex ſale cornu cervi & vino rhenano multum eſſe tribuendum, perſuaſiſſimum habeo. Pulverum enim ex camphora, moſcho, & ſerpentaria, vix unum aut alterum deglutivit, & ſal alcali hocce volatile cum vino rhenano quodammodo ſaturatum, non modo, antequam cetera expeƈtorantia in ſanguinem recepta & deſtinato fini ſatisfecerant, quoties aeger deglutiebat, ſtatim ſputa promovebat, & acri ſtimulante ſua vi oeſophagum atque aſperam arteriam irritabat, ad exſereationem reſuſcitabat, & morbificae materiae portionem, pondere ſuo pulmones gravantis, ſingulisque momentis ſuffocationem minitantis e corpore eii-

ciebat, verum ſtimulo ſuo atque irritatione vim nerveam excitavit vel potius ſenſibilitatem atque irritabilitatem recreavit.

Nec minus veſicantia ſuos praeſtitere effectus: reſorpto enim veſicantium acri ſtimulo, quo in totum corpus atque etiam in pulmones agit, ſputa promovebat, vitalitatem pene extinctam exſuſcitavit.

Ignoſcat itaque, precor, cl. SELLE, ſi ab eo hac in re diſſentio, quum dicit: metaſtaſi ad pulmones facta a roborantibus, atque ſudoriferis ſtatim abſtinendum eſt, methoduſque antiphlogiſtica arripienda. p) Si quid ſuper hac re proferre licet, duplicem ſtatum diſtinguo, mihique hanc legem ſtatuo. Quando vis vitae nimium ſit deiecta, a decubitu materiei in pectore coacervatae ſuffocationis periculum portenditur, & ob aegroti vires languentes protrudi non poteſt: quo in caſu quaevis cunctatio ſummum periculum afferret, horrendo malo ociſſime occurrendum moventibus, incitantibus cardiaciſque. Nocere autem irritaque haecce eſſe, ubi non ita languent, torpentque vitae vires, & ubi inflammationis ti-

p) Vid. eius neue Beiträge T. I. p. 112.

mor remedium quodcunque movens vetat. Hic potius ſanguinis parciori manu, & partitis vicibus, mittendi, ſolvendi, emolliendique indicatio eſt. In omni autem harum circumſtantiarum varietate maximam deliberationem, ſymptomatumque conſiderationem ineundam eſſe exiſtimo. Quid vero de tam proëgumena, quam procatharctica huius morbi cauſa dicamus? dubitari certe non poteſt, quin ex aëre humido & frigido inſenſibilis perſpirationis interceptioni tribuenda fuerit occaſionalis huius febris cauſa: nulla enim, quae in ſenſus cecidit, alias adfuit.

Corpus ſolidis laxis, nervis debilibus praeditum, ſtudiis aſſiduis infirmabatur, & ad morbum praediſponebatur, cumque in eo abſque alia manifeſta cauſa nervorum functiones praeprimis laedi viderentur, hinc iure hanc febrim malignam lentam vel nervoſam nominare licebit. Nullus enim in naribus, faucibus, pectore ſenſus moleſtus, nullae ex naribus deſtillationes, ſive pituitae excretio ex bronchiis, nulla veſpertinis horis exacerbatio, vel ex ſudore ſolutio, quae catarrhi ſtatum adnotant, nulla inflammationis ſigna, quae catarrhum inflammatorium indicarunt, nulla catarrhalis malignae tandem, quae apud non-

nullos crebro auditur, quaeque originem gaſtricam, bilioſam, pituitoſam, vel putridam iunctam habet, & ex remanenti tuſſi, *q*) aliave pectoris moleſtia manifeſta eſt, aderant.

HISTORIA V.

CEnturio quidam Regiae legionis, qui variis expeditionibus bellicis adfuit, atque gravia inde vulnera accepit, procerus, atque corporis habitus macilenti, quinquaginta circiter annos natus, diu languit, & per plurimos annos arthritide affectus fuit, cui malo medendo medicus quidam magni nominis praeſcripſit varia, ut mihi relatum eſt a chirurgo quodam, cum exeunte hyeme *1786.* in conſilium me advocaret apud aegrotum. Graviſſima enim tunc temporis diabete chyloſa correptus fuit, atque in tantum urinae profluvium incidit, ut fere die noctεque nulla eſſet mora, idque non ad modum ſtillicidii, ſed ad aliquot uncias una vice ad minimum, bina congia urinae ſpatio

q) Hinc cl. STOLL. l. c. T. III. p. 41. „ Qui ex febre maligna catarrhali eluctari, & convaleſcere incipiunt, non raro in tuſſim veluti catarrhalem incidunt, maxime noctes interpellentes.“

viginri quatuor horarum minxit. Varia medicamenta, & inter haec praecipue cortex peruvianus, ſerum lactis aluminoſum, tinctura cantharidum, adhibebantur, & tandem etiam veſicatorium oſſi ſacro applicabatur, quibus ad plenam ſanitatem reſtitutus eſt.

Elapſo nunc anno, rurſus eodem chirurgo me certiorem faciente, ad aegrotum vocatus ſum.

Die 8vo Martii 1787 cum primum ipſum inviſerem, ſtatim omnia ſymptomata, quae febrim nervoſam comitari ſolent, videbam. Aderant cephalalgia, mens confuſa, & animo ita erat contriſtatus, ut de morbo ſuo lacrymans mihi referret. Carpo manum admovens pulſum tetigi febrilem, celerem, debilem. Corpus blanda ſudatione madebat. Exſpiratio erat ſuſpirioſa. Noctes inquietae, omni ſomno orbatae. Symptomata incertis temporibus exacerbabantur. Ciborum nulla fuit appetentia, lingua conſpectu neque cruda, neque impura, urina limpida. Artus leviter tremebant, e lecto ſurgere non potuit. Quo in ſtatu duabus ſeptimanis poſt morbi inflictum, cum paullo ante arthriticis doloribus fuerit correptus, praeterlapſis, eum deprehendebam. Cum nunc alvus moram necteret, ſingulis binis horis dati

ſunt pulveres ex rhei granis decem, & magneſiae ſcrupulo conſtantes. Succedentibus diebus, immutata rerum facie, varia adhibita ſunt medicamenta, veluti decocta ex radice valerianae & angelicae, ſpiritus Mindereri, liquor cornu cervi, & camphorae.

Die 18vo in crudelem incidit diarrhoeam; materies enim cruda magno cum impetu per inferiora ſeceſſit. Vix vero exhibitis pulveribus ex drachma dimidia radicis arnicae, *r*) alvus pedetentim inhibebatur. Aegrotantis potui ex panis decocto vinum rubrum immiſcebatur.

At enim vero minus diuturnum fuit hocce allevamentum; vix enim quatuor diebus elapſis, alvus mucoſa, aquoſa; crebro diu noctuque reddebatur. Ergo denuo repetitus eſt quolibet bihorio radicis arnicae uſus, aucta ad decem grana qualibet doſi, extrinſecus clyſmata ex cortice peruviano, floribus chamomillae, & vino rubro applicata ſunt, quo ſub uſu alvus ſiſtebatur. Vires, quas diuturnitas morbi, & alvus fluens valde nunc fregit reſtituere conatus ſum corticis peruviani decocto.

r) „ Diarrhoeas maligne febrientium diuturnas, quae vel vires convellunt, haec radix (arnicae ſcilicet) pro quovis alio medicamento fortunate compreſſit. " STOLL. l. c. T. I. p. 22.

Die 25to ſudor enormis, colliquativus, non levans, vireſque proſternens biduum continuatus erumpebat; adiunxi chinae decocto radicem ſerpentariae virginianae, cui interpoſitum infuſum ſalviae vinoſum erat. Sub continuato horum remediorum uſu ſudor compeſcebatur.

Die 28vo tandem aeger lotium emiſit leviter turbidum, ſecedentem, copioſum; a quo tempore, ſuperſtitibus ſolis languoribus, quos dein quoque largus chinae chinae ſuſtulit uſus, & etiam nunc melius, quam a pluribus retro annis per omnia ſe habet.

Praediſponebat ad hunc morbum ſumma ſyſtematis nervoſi imbecillitas, quae per varias invaletudines citatas ſenſim paullatimque inducebatur. Excitabatur vero haecce diſpoſitio s) ab arthritica materie, quae forte profundius & abundantius latebat, quam ut a debilitata nimis natura e corpore elidi quiverit. Ex ſignis vero adductis facile cognoſcitur, & ab

---

s) „Praediſponens dicitur cauſa conditio quaevis corpori inhaerens, qua illud aptum eſt, nata occaſione morbum ſuſcipere. Occaſio eſt, quidquid praediſponenti ſuperveniens hanc excitat, una morbum pariant." Vid. celeb. GAUB. l. c. p. 24.

aliis potiſſimum diſtinguitur febris haecce. Omnia enim, quae alias febrim putridam, bilioſam, inflammatoriam, aliamve comitari ſolent, deficiebant. Diuturnus fuit morbus, ſerius quidem ſed perfecta iudicatio facta eſt, quum diureſis, quidquid acre vel morboſum in corpore haerebat, aſſumpſit.

Non ſemper adeo felices ſumus in curandis his febribus, quae; uti in omnibus ſingulisque morbis, vel ſua aut aegri natura nunc faciliores, nunc difficiliores ſunt. Infauſti eventus ratio magna ex parte in hac febre a languidiori & debilitata nimis natura, a quantitate materiae febrilis, a mala eius craſi, a locis & partibus, quo defertur, ab imperfectis criſibus & damnoſis molitionibus pendet. Imo ipſi in medendi methodo errores, venae ſectio & remedia cathartica, quaeque ſudores & excretiones paullo evidentius movent, aliaque, quae intrinſecus atque extrinſecus, nulla iuſta virium aeſtimationis ratione habita, quacunque de cauſa contingunt, mortem quandoque praebere obſervatum eſt.

Pro exemplo tres tales hiſtorias afferam.

HISTORIA I.

DIe 25to menſis Auguſti 1781 a marito ruſtico, qui rure vixit, ad uxorem ipſius vocabar, quae iam per aliquot ſeptimanas graviter decubuerat.

Aegrota tricennaria abhinc ſeptem vel octo menſes peperat infantem robuſtum; ſtatim autem a partu ſecutus eſt incredibilis ſanguinis fluxus, cui tandem ſupervenit liquoris albi fluxus copioſus.

Puerum ipſa lactavit; licet toto lactationis tempore parum lactis in mammis colligeretur.

Per totum geſtationis tempus valetudo adverſa, moeror diuturnus antecesſit.

Duobus ab hinc ſeptimanis levi frigoris atque caloris ſenſu corripiebatur, qui ſequentibus etiam diebus rediit, ſibi vero neque tempore, neque gradu, neque duratione reſpondebant hae acceſſiones.

Plerumque intra lectum extitit, laſſitudine languebant membra, leviter inſaniebat, & ſe nullo modo dormire poſſe aſſeverabat. Urina, quam ſecum portabat maritus limpida erat. Non obſtantibus omnibus medicamentis, quibus bubulcorum, opilionum, aliorumque

conſilio uſa eſt, quaeque in ſanguinis detra- ctione, liquoribus acribus ſpirituoſis, purgantibuſque conſiſtebant, auctus magis eſt die in diem morbus.

Haec ruſticus ipſe narravit.

Statim cum adirem aegrotam, examine ulterius inſtituto, febre maligna lenta laborare iudicavi.

Nam praeter ingentem debilitatem, inſomniam, anheloſam reſpirationem, ſurditatem, aderant deliria tranquilla, ſtupiditas.

Pulſus erat debilis, celer, & quandoque intermittebat, lingua ſicca tremebat, atque contra voluntatem movebatur. Sudoribus partim calidiſſimo regimine, nimiiſque ſtragulis productis, partim colliquativis diffluebat.

Uno eodemque tempore altera in gena cadaveroſum erat frigus, in altera vero calor.

Puſtulae rubrae, & albae miliares iam elevatae, collum, pectus & abdomen occupabant, intermixtis parcioribus petechiis roſei coloris.

Tandem vero ſpaſticae contractiones, & deglutitionis laeſio, ſine ullo, ut oris inſpectione conſtitit, tumore aut inflammatione animadvertebatur.

Nulla lingua impura, nullus ſapor amarus, aut nauſeoſus, aut alia ſymptomata bilioſarum aut pituitoſarum ſordium in primis viis colluviem demonſtrantia, neque minus ſpiritus foetentes, urinae, ſudores, aut alvi peſſime olentes, aliaque putridarum ſigna detegebantur.

Petechiae enim nulla putridae febris indicia praebebant, quum nullum reliquum aderat apparens putredinis ſignum; & quando hoc ad ſententiam noſtram de putredinis abſentia, corroborandam, non ſufficit argumentum, ſolis calidis aromaticis, regimini, & eiuſmodi aliis, quae ſudores inutiles prolicere, humores exſiccare, acres reddere, & ad putredinem reducere valent, potius humorum diſſolutionem adſcribendam, & ad morbi effectus referendam fuiſſe, fateri licet. Denique omnia deerant, quae ſanguinem inflammatum indicabant. Procatharcticae cauſae vis, niſi frigus ſuſceptum, atque hinc tranſpirationem cohibitam aſſumo, obſcuriſſima mihi quidem erat, at manifeſtior proëgumena. Ad haec triſtia adverſa valetudo, nimiae ſanguinis evacuationes, lactatio & alia, quae iam infirmatam aegrotam exhauſerunt, atque enervarunt, referenda. Indicatione igitur a vacillantibus vitae viribus deſumpta, tentata

ſunt fruſtra veſicatoria, china, champhora, moſchus, ſerpentaria, vinum, quaeque morbo convenire arbitrabar; at irrita erant omnia, incidit enim in ſoporem, & 3omo anhelitu, & ſuffocata moriebatur.

Quaeſtio hic moveri poſſet, an non morbi ratio potius in lactatione, & pro tabe nutricum a celeberr. MORTONO deſcripta, t) morbus habendus erat? nulla morbum anteibat hyſterica paſſio, aut ſuffocatio, quae tamquam praeſagiens ſymptoma ſtabilivit cl. auctor, nulla progreſſu morbi tuſſis, caloriſve hectici, cum hoc morbo ſemper coniuncti, aderant indicia; minus ergo probanda haecce opinio eſt.

Critica evacuatio in hac aegrota facta eſt nulla, materialis enim febris cauſa (quaecunque fuit) a debilitata nimis natura partim retenta, & partim ad pulmones delata, morbi efficacia oppreſſam aegram ſuffocavit.

Funeſtum hocce exemplum denuo docuit, quantum venae ſectiones, laxantia aliaque intempeſtive adhibita afferant damni.

---

t) Vid. ej. oper. med. p. 14. ed. Genev.

HISTORIA II.

QUidam vir annos circiter quinquaginta natus, ruri degens, ad hypochondriacum malum inclinans, iam pridem de laeſa digeſtione, appetitu deficiente conquerebatur. Abdominis tormina ſaepius patiebatur, ita quidem, ut alimenta aliqualis conſiſtentiae, vel facile fermenteſcibilia perferre nequiret. Laxantia, mixturas ſalinas, extracta amara, ſaponem & reſolventia, & tandem corticem peruvianum adhibuit, & inde perſanus per ſpatium dimidii fere anni manſit; exceptis intervallis incertis, quibus ob appetitum inordinatum, laxantia mitiora, interpoſitis extractis amaris, ſumpſit.

Septimo tandem Februarii 1783 per litteras opem imploravit, ſe ventriculi & inteſtinorum debilitate denuo laborare, coniecturans. Varia elegi medicamenta in hunc finem pendentia. Aeger autem auxilium non percipiens, alia exoptavit, meque decimo tertio rogavit, ut ad ſe venirem. Ambulantem quidem in domo, ſed triſtiorem praeter conſuetudinem, anxium & ſuſpirioſum inveni. De capite quaſi obnubilato conqueritur, ita ut quaſi ſemiebrius videretur. Morbus ſine manifeſta, quam referre poſſet, occaſione, cum

nulla

nulla prava victus ratione antea uſus eſſet, eum prehendit crebris vomitionibus, horripilationibus, ſubſequenti levi calore. Somnus deficit, aut dormire ſaltem incipiens, ex tetris inſomniis, ſubito cum terrore expergiſcitur. Appetitus nullus, ſitis nulla, alvus clauſa, pulſus febriles, tardi, rari, ſubinde inaequales obſervabantur. Lingua tenui albo muco obducta, urina tenuis & pallida, ſudores inaequales. Grana quindecim rhei & drachmam ſemis magneſiae omni bihorio, & quidem tres tales pulveres ſumſit. Alvum bis poſuit. Hinc melius quidem ſe habebat, ſed ſub veſperam magnae de capitis dolore querelae cum pulſu contracto, frequenti & debili. Propinabatur mixtura ſic dicta Riveriana ex ſalis abſinthii drachmis duabus & ſucco citri parata, & veſicatorium cervici applicabatur.

Domum redibam.

Quatuor diebus elapſis, urgente morbo, accito mihi narrabant adſtantes, aegrotum ambulatorium, ab omni dolore liberum bonam valetudinem non ſuſpectam habuiſſe; etſi per noctes vigilaverit, & incertis intervallis, quibus anxietatem, vertiginem, orgaſmum, levem calorem ſentiret, male ſe habuerit. In hoc falſae integritatis ſtatu permanſit ad hunc

uſque diem, quum ſellae perforatae inſidens animi deliquio afficeretur. Mire delirantem, atque obmurmurantem, pulſu celeri, parvo & debili, ingenti cordis angore, languore univerſali correptum inveniebam. Vix elapſis duabus horis, artus, manus, pedeſque convelli incipiunt, oculi contorquentur, labia hinc inde deducuntur. Per varia adhibita intus & extra medicamenta antiſpaſmodica remittebant quidem ſymptomata, ſed verſus veſperam omnia in deterius ruebant. Omnium fere tendinum aſſiduis ſaltibus corripitur, & ſingultibus vexatus, ſudoribus diffluit, accedit coma, adulta nocte extinctus eſt.

Præſentem illum caſum commode nervoſis febribus accenſeri poſſe, ſatis ſuperque deprehendi, cujus rei ſuſpicionem potiſſimum ſuggeſſit.

Imo coſtitutio corporis. *u*) Febris ſine notabili materiæ morboſæ cauſa illum arripiebat, per accuratam enim diætæ ordinationem, equitationem moderatam, in morbo nondum in-

---

u) „ Dantur nimirum conſtitutiones corporis, qualem in hypochondriacis & hiſtericis obſervamus, qua leviſſimis cauſis accedentibus phaenomena

veterato, depravato viſcerum ſtatui optime ſuccurrit, & meliore gaudebat ſanitate. Nulla digeſtio læſa, nulla mala ſanguinis ſtaſis, ſive lentor in ſyſtemate venæ portæ, nulli infarctus in abdomine obſervabantur; & ſi darem etiam depravatam viſcerum imi ventris conditionem adfuiſſe, haudquaquam proxima febris cauſa inde exoriri poteſt, cum talem ſtatum ad chronicos tantum morbos reſtringere debeamus. In conſtitutione ergo prædiſpoſitio morbi ponenda erat, ſuperveniente levi quadam cauſa occaſionali, quæ fomitem febris conſtituit. Refrigerium forte ſubitaneum, vicino in cubiculo frigidiori ſellæ inſidenti, atque ſudanti ægroto admiſſum, materiam perſpirantem ad nervos detulit; unde convulſiones excitabantur.

2do Tandem loco augurium hocce meum plenius confirmarunt ſigna, omni & ſolo huic morbo ſolemnia. Noctes ſcilicet inſomnes, ſymptomata graviora ex improviſo accedentia, calores leves, & ſudores inæquales, pulſus celeres, parvi & debiles, & denique alius generis febres concomitantia ſymptomata deficientia.

---

producuntur, quae alias graviorem cauſam ad ſui exiſtentiam ſupponunt. " Vid. cl. RAHN l. c. pag. 304.

Denique nullum mihi eſt dubium relictum, cum ipſæ optimorum practicorum obſervationes noſtræ ſimillimæ certos nos reddiderunt. *v*)

Exacerbatio atque mors die critico, undecimo nempe morbi die ſequebatur, quum neque ſatis potens fuit natura nociva ad certos exitus amandare, in materia morbifica coquenda & evacuanda nimium torpebat, & morbo in ſecundum ſtadium tranſeunte, opprimebatur „ *w*)

Pro ſubjectorum diverſitate & cauſarum intenſitate, inconſtantia, & perpetua varietas unius ejuſdemque morbi eſt. Mille namque morborum cauſæ, varia aegrorum temperamenta, ætatis, ſexus, vitæ genera, climata diverſæ naturæ, variæ annorum conſtitutiones, & varia ſemper influentes, innumera denique *alia*, quæ ad producendos, favendoſque morbos concurrunt, ita interdum certam, conſtantemque morbi, & ſuorum ſymptomatum naturam per-

---

v) Conſ. cl. SELLE l. c.

w) „ Eſt autem primum & maximum in morbis mortalibus ſignum, quod ſine criſi mors ſit ſubſecutura, virium imbecillitas, natura ita proſtrata, ne ad pugnam contra morbum excitetur. “ GALEN. de criſibus lib. 3. cap. 10.

turbant, ut difficile ſit veritatem inveſtigare, niſi complexus horum omnium ſagaci rationis uſu perpendatur & illuſtretur" *x*) Quod cum probe ſciverit celeberrim. Gaubius ſequentia depoſuit „ Haud tamen diſſimulandum eſt, ſuis premi dubiis, obſcuris, conjecturalibus, nunquam prorſus extergendis medicinam: neque enim datum mortalibus, aut ſuam, aut rerum inter quas verſantur naturam penitus comprehendere. At communis illa ingenii humani imbecillitas quem non ſtringit? gravius quidem medicum ob inexhauſtam materiæ, qua occupatur, amplitudinem " & in paragrapho ſequenti „ Privatum inſuper evidentiae obſtaculum hoc eſt, quod ſinguli homines a ſingulis tantopere differant: nec vero ſufficit, medicum communia modo intueri: oportet & cuivis homini propria; ut qui ſingulorum ſaluti præſit. Quae quidem diverſitas tam immenſa occurrit, ut nulla obſervationum vi exhauriri poſſit " *y*)

Sequens hiſtoria cum praecedentibus comparata dicta confirmabit.

---

x) BAGLIV. prax. med. lib. 1. §. 12.
y) Vid. l. c. pag. 9. &c.

HISTORIA III.

Ruſticus, qui agrum colebat in vicino pago, decimo octavo Aprilis 1786 meum expetiit auxilium. De morbo quaeſitus nuncius, nil, niſi quod aegrotus ſingultu correptus ſit, denunciare potuit.

Quum ipſe aegrotantem adirem, ruſticus ſequentia retulit. Se eſſe aetatis ſexaginta trium annorum, alias bene valuiſſe, ſanumque fuiſſe, nullam originis mali cauſam noſſe, niſi quod abhinc fere decem diebus, nocte jam ingruente, ſub dio verſatus, atmoſphaera humida & frigida, poſtquam ex laboribus excalefactus eſſet, domum redux, capitis aliqualem, reſentiret imbecillitatem, & ſubſequente nocte levibus horroribus, atque caloribus corriperetur. Ad queſtiones: An nimiam ciborum copiam adſumſerit? an nauſea & vomitus morbum præceſſerit, vel huic juncta fuerit? an febris ingreſſus certis horis adſtrictus fuerit? an non ullæ poſtulæ vel exanthemata, quæ pectus, collum, aliaſve corporis partes occuparent, evanuerint? ad hæc & multa alia reſpondebat, febrem quotidie vel bis vel ter exiguo vero gradu cum & ſine præviis horroribus leviori-

bus exacerbatam, ſomni defectum, faſtidium ciborum morbi comitem fuiſſe; ſe nullas puſtulas, aut efflorefcentias vidiſſe; ſponte vero confeſſus eſt, ſe ex circumforaneorum portatiles ſuas officinas ſecum ducentium apparatu pharmaceutico coëmiſſe pilulas, & eſſentias mediocri quidem pretio, ſed maximo ſui damno.

Infinitas enim excitarunt hae panaceæ vomitus & ſeceſſus, atque ἄνω καὶ κάτω mucoſæ materiae quantitatem eliminarunt. Debilitate, anxietate, atque ſingultu inde prehendebatur. Ex his omnibus mihi nondum ſatis conſtitit morbum determinare, ab evacuantibus, vomitoriis, & draſticis purgantibus debilitas quidem inducta eſt, ex reliquo vero vitæ genere & corporis conſtitutione vix divinare mihi licuit nervoſam febrim, multoque minus, quum neque ex epidemica conſtitutione, aut ex contagio ortum ſuum duxerit.

Nullos vero in curatione errores me commiſſurum exiſtimavi, quando ſequentibus indicationibus ſatisfacerem: ſi nimirum motus convulſivos mitigarem, dein, quum indicatio vitalis urgeret, ægroti vires erigerem. Inter illa, quæ, primæ indicationi conveniunt, remedia elegi externa ex aſa foetida & opio, pro emplaſtro abdomini applicando; & interna e

moſcho: quod ad alterius indicationis ſcopum pertinet, præſcripſi corticem peruvianum & ſerpentariam virginianam decocti forma, cui poſt decoctionem pauxillum camphoræ addebatur.

Viceſimo tandem die ex nuncii relationibus & ipſo intuitu ex ſymptomatum analogia, ex abſentibus indiciis bilioſæ, putridæ, aliuſve febris, & tandem ex ſyſtematis nervoſi affectionibus, nulla ex manifeſta cauſa originem trahentibus de febre maligna convictus ſum. Somnus enim adhuc deficiebat, ſingultus non ceſſaverat, lingua luteo cum margine in utroque latere, in media parte arida, (quod & cl. Huxham ſimilibus in febribus obſervavit) tremebat. Accedebant ſudores nullum levamen procreantes, obmurmurabat, mite delirabat, nil ſponte deſiderabat, oculis depreſſis albedinem oſtendentibus ſtupidus jacebat, acutiſſimo clamore vix afficiebatur, & interroganti confuſe reſpondebat. Pulſus erant celeres, frequentes. Urina nullum ſedimentum deponebat. Pedes, crura, & femora frigebant. Faciei pallidus erat color. Oculi lacrymoſi.

Præter veſicantia ſuris applicata præſcripſi adhuc varia. De effectu autem medicamentorum, & an ſumſerit, quum iſtiuſmodi homines cito remediis ſatiantur, nil audivi. Elapſis

tandem aliquot ſeptimanis, mihi, ægrum, triduo exacto, poſtquam inviſeram, periiſſe relatum eſt.

Annotatas febrium nervoſarum obſervationes evolvens, non facile alios homines ad hanc febrim inclinare invenio, quam qui habitu corporis laxo, nervis debilioribus; ſenſibilioribus, hypochondrica vel hyſterica paſſione, nec non quos graviora animi pathemata, moeror, triſtitia, ſtudia, vigiliæ immodicæ infirmarunt, vel nimiæ evacuationes exhauſerunt, præditi ſunt; hinc cl. Selle dicit „ febris in conſtitutione robuſta ex refrigerio contracta, non facile nervoſæ febris indolem ſervabit, quum plurima harum cauſarum pars, varios, pro varia corporis conditione edat " z) Noſter autem ægrotus, qui quoad vitæ genus, ſtaturam & temperiem, agros colendo, pane nigro, carne fumo indurato &c. vivebat, ſolidis firmis compactis, ita ut inter quadratos facile referri potuiſſet, gaudebat, & temperamento præditus erat boeotico. *aa)* Quidquid igitur

z) Pyretolog. pag. 57.

aa) In hoc imminuta & torpida eſt vis vitalis, lentor & tenacitas omnium functionum adeſt. Vid.

adverſi obvenit noſtro ægroto, quem certe neque inflammatio, neque putrida diatheſis ſive primarum viarum; ſive humorum omnium occupaverat, non facile idioſyncraſiæ adſcribi potuit. Difficile hinc erat ex datis circumſtantiis eruere cauſas tam proëgumenas quam procatarcticas, quæ morbo naſcendo inſervire potuerunt; niſi commoratio veſpertina in aëre humido & frigido febri inferendæ aliquid contuliſſet; & fortaſſe etiam factum eſt, ut intempeſtivis, atque reiteratis evacuationibus a legitimo ordine deflexerit morbus, atque funeſtus evaderit.

Febris nervoſa vel maligna lenta ſudatoria.

Nomina, quæ veteres febribus frequentius quibuſdam impoſuerunt, a ſymptomate quodam urgente deſumpta ſunt; ſic Elodes ex peculiari ſymptomate, quod perpetuis ſudoribus diffluunt ægroti, appellarunt. Symptoma vero hocce nec genus nec ſpeciem febris conſtituit,

---

cl. PLATNER. Philoſophiſche Aphoriſmen Tom. 2. de temperamentis, & cl. GONNER. patholog. pag. 522.

quemadmodum enim in iis, qui phthiſi & tabe laborant, nec minus, qui gaſtricis, putridis, imo etiam tertianis *bb*) decumbunt febribus hocce liquationis genus aliquando ſupervenit, ſic etiam in illis febribus, ubi nulla cacochyliæ ſigna, nulla ſanguinis, reliquorumve humorum diſſolutio, atque corruptio, uno verbo, ubi nervoſi generis abſque manifeſta aliqua acrimoniæ colliquantis vi, quæ originem forte malo præbere poſſet, functiones perturbatæ ſunt, & quas a putridis, aliiſve febrium generibus diſcernere didici, aliquando nimiam talem ſudoris evacuationem, ſymptomatis inſtar, urgere videmus.

HISTORIA MORBI.

Nono Maji die 1784 ad juvenem aegrotum, viceſimum agentem annum, tenerrimo corporis habitu praeditum, qui varias ſollicitudines, paupertatiſque difficultates; & frequentiſſime refrigeria pertulerat, accerſitus ſum.

Per quatuor dies quotidie pene, incertis tamen temporibus, leves caloris frigoriſque vi-

---

bb) TORTI therap. ſpecial. L. 3. cap. 1.

ciſſitudines patiebatur. Sudoribus, qui non ſolum circa caput, collum, aliaſve corporis partes, quoſque lecti tepor non prolicuerat, quum in domo adhuc obambularet, manabant, perfuſus quaſi diffluebat. De laſſitudine, vertigine, capitis dolore ſincipitis partem occupante, & præcordiorum anxietate querebatur. Quibus minutum cibi deſiderium, nauſea, animi deliquia ſe jungebant. Pulſus erant languidi, inordinati, & debiles. Alvus compreſſa. Lingua tenui muco obveſtita, cæterum humida & bona. Eccoprotico ex rhabarbaro dato, ter alvum dejecit. Circa noctem increvit febris pulſu crebriore, & celeriore, ſed languido, cum pectoris anguſtia, atque oppreſſione. Per noctem ſomni nulli, & cutis ſudore adſperſa.

Altero die aſſidui ſudores. Sollicitationes ad vomitum. Emetico parum phlegmatis inſipidi ejiciebatur. Perſeverabant vomendi conatus, ut ut nullis ſordibus ſcatere videbatur ventriculus. Dabatur hauſtulus Riverianus. Paulatim conquieſcere ſtimuli. De nocte ſudor, nullus ſomnus.

Tertio die undecimo Maji, & ſeptimo morbi die leviter inſanit, & vires ita deficiunt, ut vix ſupino ſitu ſe movere poſſit. Manus tremunt. Lingua albida. Vultus modo ru-

beſcit, modo pallet. Renum liquores ſanorum ſimiles: Sudor vaporis inſtar, adſcendit. Pulſus parvi, contracti, atque inæquales. Gaſtricæ indolis eſſe febrem ſuſpicans, rheum refracta doſi, ad ſaburram identidem educendam, præſcripſi, unde aliquot ſeceſſus ſubſecuti ſunt.

Duodecimo Maji levius ſe habere videbatur, mens ſanior, ſed perdurat ſudor. Medicamento pridiano interponebatur corticis peruviani decoctum. Sub veſperam ejuſdem adhuc diei omnia exacerbantur. Loquitur multa, ſed non ad rem. Mens obnubilatur quaſi, interrogatus enim vix reſpondet. Pulſus fluctuantes. Nox inſequens inquietiſſima fuit ſine ullo ſomno, cum tremoribus atque ſpaſmis. Decimo tertio ſudoribus profuſioribus puſtulæ miliares erumpebant. Virium defectio, & languor ita increvêre, ut animi deliquiis ſaepe corriperetur. Mens inconſtans. Lingua rubra, & humida. Urina limpida cum parciſſima ſuſpenſione. Cantharides ſuris apponebantur.

Decimo quarto nox non fuit ſine ullo ſomno. Sudor moderatus, omniaque paulo mitiora. Remiſit etiam animi inconſtantia.

Decimo quinto, & decimo ſexto ſatis commode ſe habet, at decimo ſeptimo profuſe alvus fluere incipit. Sudor frigidus & viſcidus

fronte emanat. Senſus alieni & ſtupidi. Ad ſiſtendum fluxum gelatina ex cornu cervi raſo, addito vino rubro aqua diluto, adhibebatur, & corticis peruviani decocto aliquot laudani liquidi Syd. guttulæ adjiciebantur.

Fluxus paulatim decrevêre, atque bono ſucceſſu continuatum eſt decoctum illud ad quadrinos dies. Alvus enim nec profuſe fluebat, nec claudebatur. Nil incommodi præter virium defectum ſentiebat, mente tamen non conſtans erat, & pulſus adhuc febriles erant.

Viceſimo primo pectoris oppreſſionibus atque ſpasmodico gutturis veluti præfocati ſenſu afficiebatur, nil liquidi deglutire potuit, quin, illis oblatis, ſuffocationis periculum augeretur; hinc aſpectu anxietatibus affligebatur, & difficillime ad bibendum impelli potuit. *cc)*

Præſcripti ſunt pulveres ſaccharo triti ex moſchi granis quinque, & camphoræ granis

---

cc) Hydrophobia ſpontanea, vel ſymptomatica a recentioribus appellatur. HIPPOCRATI ipſi hoc malignarum febrium ſignum non ignotum fuiſſe ex ſcriptis eius conſtat. Sic ait praenot. 265. „ Vehementer dolentes fauces abſque tumore cum labore & moleſtia praeceps exitium minantur. " & 275. „ Ubi fauces in morbis acutis graciles ſunt, parvae ac dolentes, atque ubi os

duobus, ſingulis horis capiendi, impoſitum quoque pectori veſicatorium eſt,

Viceſimo ſecundo, eadem circa pectus incommoda. Fatuæ ad ſomnum inclinationes cum deliriis. Acceſſit ſingultus cum tendinum tremoribus. Arteriarum pulſus celeres, inæquales, & parvi, ita ut vix percipi queant.

Viceſimo tertio Maji, liberius ſpirat: non deſunt quidem ſudores, ſed moderate fluunt, cum iiſdemque urinam turbidam emittit. Simul & pulſus molles æquales ſpaſmorumque ceſſatio.

Viceſimo quarto, quum alvus ternis vel quaternis diebus officio non ſatisfeciſſet, clyſteribus ſoluta eſt.

In adſumendo corticis peruviani decocto nunc perrexit, & inter laſſitudinem quandam, brevibus ſomnis non valde reficientibus atque recreantibus, ſub deliriis levioribus, modicisque ſudoribus procedebat morbus.

Quintum Junii menſis diem, ubi ſaliva fluere incipiebat, Salivalis iſte liquor paulatim tanta copia excernebatur, ut die noctuque, quo commode exiret, os hiare deberet, & ſu-

---

hiarit, ſi gracile appareat, nec facile contrahi poſſit, mentis emotionem metuere oportet. "

pinus decubitus prohiberetur. Omnia nunc ſymptomata mitigabantur.

Mens reſipiſcebat, ſomnuſque reficiebat. Tumor etiam in inguine dextro duriuſculus ſine dolore aut rubedine prodibat. Superimpoſito emplaſtro reſolvente reſolutionem moliri conabar, quo etiam adjumento penitus propulſatus eſt.

Paulatim deſinente ptyalismo, lente quidem, ſed ex integro, ad naturæ modulum corpus rediit, & per omnia ſanus evadit.

Nulli certe dubitationi locus eſt, quin, ſive ad nervorum affectiones, & multa illa nervoſa ſymptomata, ſive ad totum morbi decurſum reſpiciamus, febris illa neque ex putridarum genere, neque gaſtricæ indolis, quam initio morbi accuſabam, fuerit, atque adeo nimiam tenuiſſimi liquidi per cutim *epulſionem*, quod abſque prægreſſis ullis ſtatim primi morbi diebus coctionis ſignis prodibat, nulloque ideo naturæ, ſive artis molimine provocabatur, uti ſymptoma morbi conſiderandam, vaſorumque illorum in cutis ſuperficie eructantium, inſenſibili perſpirationi dicatorum, laxitati atque debilitati adſcribendam fuiſſe.

Nono die morbi miliarium eruptio fiebat, ſed manſerunt mala ſymptomata.

Unde-

Undecimo diarrhoea immodica colliquativa abſque ullis bilioſarum vel putridarum ſordium ſignis, neque ſalutaris. *dd*)

Decimo nono die mente conſtabat, urinae criſeos ſigna præ ſe ferebant, his morbus quidem ſublevabatur, ſed nondum terminabatur. Pergebat enim minori gradu, donec trigeſimo primo ptyaliſmus ſummam opem tulit; hae enim copioſa excretione perfecte iudicatus eſt.

Febres bilioſo-nervoſæ.

Mater & tres nati, mali corporis habitus, & paupertate preſſi, menſe Junio 1783, quo tempore plures febre bilioſa laborabant, morbique a bile oriundi multiplices prædominium obtinebant, (apoplexias enim pleuritides, & peripneumonias, colicas, arthritidem ex fomite bilioſo tunc vidi) animo triſti metuque objecti a me ſunt inventi.

Omnes languorem ſentiebant, cui ſenſuum obnubilatio, tremores, capitis dolor, anxietas,

---

dd) In alvi perturbationibus & vomitionibus, quae ſponte eveniunt, ſi qualia oportet purgentur, conducit, & facile tolerant, ſin minus contra ſit. " Aphoriſm. 2. ſect. 1. edit. Foeſ.

& repletionis ſenſus ad præcordia, faſtidium, ciborum, vomendi conatus accedebant, intermixtis horroribus, & caloribus levioribus, pulſu debili, lingua flava, ſapore vitiato amaro, faciei colore ex pallido flaveſcente.

Mater quadraginta annorum a multis huc uſque annis valetudinaria & hyſterica; puella octodecim, chlorotica; ſoror quindecim, infirma & adverſa valetudine ſemper uſa, cui catamenia jam fluxerant; & juvenis frequentioribus e naribus ſanguineis evacuationibus exhauſtus, viginti duorum annorum erat.

Ex quibus, ſervatis reliquis, puella quindecim annorum vi morbi oppreſſa ſuccubuit. Præmiſſis ſolventibus, omnibus emetica exhibita ſunt; multa bilioſa vomuerunt. Caput omnibus valde ægrotabat, confuſum, ſtupidum. A propinatis pharmacis alvum leniter cientibus, materiamque bilioſam evacuantibus nullum aut perexiguum levamen. Præter puellam natu minimam reliqui in domo ambulabant; hæc enim ſtatim quinto morbi die pejoris conditionis fiebat, ſtupida, immobilis, taciturna, aſſidua in ſomnum proclivitate, inter deliria mitiora, noctu præſertim pulſibus celerioribus, inæqualibus, ſudoribus aſſiduis, urina limpida, lingua mucida, variiſque manuum ſpaſticis contractio-

nibus, lecto erat adſtricta. Dabantur illi pulveres ex radice valerianæ ſalinis mixti; reliquis qui inſomniis, vertigine, inæqualibus ſudoribus, nidoroſis ſaporibus levique ſurditate correpti, invite lacrymabantur, ſaliva digeſtiva.

Die 12mo Junii manuum pedumque convulſionibus, quarum vis, atque frequentia ita increvit, ut, elapſis aliquot horis, totius corporis partes fuerint convulsæ, oculis torvatis, & ad quæſtiones nihil vel aliena reſpondentem, infeſtatam deprehendi puellam. Sub uſu vero pulverum ex radice ſerpentariæ virginianæ, moſcho & camphora, imminutæ ſunt ſpasmorum acceſſiones, & ſubſecutus ſudor largiſſimus, & urina turbida. Præterea veſicantia ſuris ſunt applicata, & ob alvi ſegnitiem clysma injectum copioſam bilioſam ejectionem effecit.

Reliquis, quibus extra lectum commorationem languor & morbi progreſſio non deſinebat, præſcriptum eſt decoctum ex cortice peruviano, additis tartari emetici aliquot granis; matris vero decocto, quam alvi fluxus enervans bilioſus, atque exhauriens exercebat, loco tartari emetici ſal ammoniacum adjiciebatur. Sequenti die nihil emendatam vidi puellam, quum ſtupida jaceret, ſtrepitu & frequentioribus agitationibus vix emoveretur, vi-

ſus & auditus deperditus, lingua nigra, pulſus vermiculares vixque perceptibiles erant. Artus, lingua, & labia tremebant. Excrementa bilioſum quidem colorem, ſed nullum foetorem edentia invite exibant. Sudores frigidi, inæquales circa caput & collum emanabant. Antiſpasmodicorum, cardiacorum, & potuum vinoſorum uſu ægrotæ vires parum erigebantur, ſed manſit illa in ſoporem procliviras in quartum uſque diem, quo convulſionibus univerſalibus, miſerrime vexata ægra ſub ſtertoribus, ſonoriſque reſpirationibus exſpiravit.

Reliqui aſſidue quidem ſed mite delirarunt. Omnibus veſicantia applicata ſunt, matri præcipue ob vertiginem & acerrimum capitis dolorem ad nucham, aliis ad ſuras.

Lotium plerumque pallido colore, *alio* tempore turbidum adparebat. Vigiliis diuturnis vexabantur. Ad occiput cephalæa ingraveſcebat. Pulſus tardiuſculi & nunquam elatierant. Semper moroſi & taciturni erant.

Mater de frequentioribus pectoris oppreſſionibus querebatur. Lingua morbi initio flava cum ſignis ſaburræ bilioſæ humida fiebat, & cruſta ſordida flava ſeparari incipiebat. De nullo amaroris ſenſu amplius querebantur. Sudores confertim manabant. Alvus compreſſa ene-

mate vel levioribus eccoproticis ex rheo & ſale quodam medio ſollicitabatur, vires cortice, ſerpentaria, ſpiritu Mindereri, & camphora erigebantur. Tandem juvenis poſt tres, mater & filia poſt quatuor ſeptimanas, poſtquam his ſaliva mucoſa, ſalivationis inſtar, ex ore fluebat, viribus in dies creſcentibus. convaleſcebant.

Prima jam facie in his ægrotis utriuſque febris complicationem ominibar; nam ſapor amarus, ructus amari, vomitus bilioſi, conſpirante & tempeſtate, cui bilis imperabat, characterem conſtituebant bilioſum; at alia in his fuit febris ratio, nullis enim ſeſe manifeſtabat exacerbationibus quotidianis; nullas alternis diebus, ſive duplicis tertianæ habuit acceſſiones; quæ enim acceſſit febricula nervoſæ fuit indolis, & nullum typum ſervabat. Pulſus naturali parumper celerior erat, minus tamen, ac in bilioſis; calor temperatus, nec tam vehemens, quam in illis, qui alias bilioſo morbo tenentur; urina in bilioſo ſtatu ruberrima, mox limpida, mox turbida erat; ſitis tandem, alias multa atque impacabilis, fere nulla erat. Hinc omnia ad amuſſim neque ad nervoſam, neque ad bilioſam perfectam atque puram reſpondiſſe, morbumque complicatum fuiſſe, facile patet.

Iniquiſſima vitæ conditio, ærumnarum plena, ſollicitudines, mœror, & triſtitia, nervoſo ſyſtemati inprimis inimica, in corporibus jam fractis debilitatem atque infirmitatem acceſſit; his diſpoſitio in nervoſam febrim naſcebatur: quæ, peccante & gaſtricos humores ſimul vitiante bile, in febrem proiupit, quæ a bilioſo certe vitio proximam non ducebat originem; rejectis enim licet copioſis ſordibus bilioſis, nullum ægri percipiebant levamen, donec veſicantium cardiacorum ſtimulo, torpente natura ſuſcitata, morbique vi ſuperata, in juveni largioribus æqualibuſque ſudoribus, & ieliquis, excepta puella, quæ acrius periculoſiuſque infeſtata, artis quibuſcunque præſidiis non auſcultante natura, ſuccubuit, ſalivatione morbus judicabatur.

De febris vernalis complicatione cum febre nervoſa.

Febres tertianæ ſimplices plures menſibus Aprili, Majo, Junio, &c. 1787 occurrebant. Hinc inde etiam paucæ quædam gaſtricæ benignioris naturæ videbantur. Pituitoſa materies, quæ primas vias obſidebat, primarium continebat fomitem, atque nunc febres intermitten-

tes, nunc febres continuas remittentes cum quotidianis exacerbationibus generabat.

Pauperioris ſortis & conditionis homines, quibus victus duriores, præcipue carnes fumo induratæ, caſei, ſolana tuberoſa, aliaque communiſſima ſunt edulia, præ aliis maxime his febribus ſubjacebant. Præter vernalem tempeſtatem inteſtinalis colluviei, pituitoſæ præcipue, generationi maxime faventem, tranſpirationis negotium hoc tempore frequentiſſime impeditum, ob aere retentum & ad inteſtina delatum anſam præbuit. Juvenes & robuſti, qui ex pituita tali febricitabant, ſolventibus, emeſi, purgationibuſque ſanati ſunt.

Debiliores vero, ſequior ſexus præcipuæ, quique curis, vigiliis, mœrore, pathematibuſque diuturnioribus infirmati erant, non tam levi opera integritatem recuperabant. In his enim, quæ intermittebant initio, febres ſubinde in nervoſas tranſibant, vel ſtatim ad morem ſive tertianæ, ſive continuæ remittentis non prodibant, nullaque certa periodo ſeſe exacerbabant, atque ad nervoſam indolem accedebant. Nullum tales ab evacuationibus levamen habuerunt, quanquam a pituitoſis ſordibus manifeſte liberari fuerint; idem enim fuit corporis languor, & laſſitudo, iiſdem fugacibus,

tum æſtibus, tum perfrigeriis horroribuſque; quaſi tot parvis febriculis, incerta quaſi lege afficiebantur, eadem fuit nauſea, idemque ciborum faſtidium, etſi vix ullum pravæ materiei, gaſtricum ſyſtema afficientis, relinqueretur ſignum; tunc non indifferens fuit, debilem membriſque quaſi fractum ægrotum evacuationibus perſequi. Jungebantur hisce capitis dolor, frigoriſque ſenſus, capitis partem poſteriorem occupantis, mentis alienatio, animi afflictio, pectoris anguſtia, & perpetua inſomnia. Pulſus erant celeres & debiles, calor febrilis, at plurimum mitis erat. Interdum caput fervebat, et extrema frigebant. Urina nullum deponebat ſedimentum. Aliqui de tinnitu, & ſuſurru aurium conquerebantur. Lingua, quæ antea viſcida, tenaci, albidaque pellicula obtegebatur, nunc erat rubra & humida. Alvus neque compreſſa, neque liquida. Cutis humida & mollis; imo aliqui ſudores leves & inæquales habebant. In omni hoc morbi decurſu modo obambulabant, modo lecto affixi erant ægri, ita, ut non valde ægrotare viderentur. In hac valetudinis ambiguitate ad tres, quatuor, vel quinque ſeptimanas verſabantur, ubi plerique ſine evidentiori criſi, alii ſuperveniente levi ſudore æquali cum bonæ urinæ ſedimento pri-

ſtinam recuperabant ſanitatem. Initio morbi profuere emeſes, profuerunt quoque, ſi multa ſaburralia ſigna adfuere, leniſſima cathartica. Provectiore jam morbo largiores non bene tulere evacuationes: hac ratione enim contingebat, ut, ſi pluries alvum dejeceret æger, vires labeſcerent, morbique duratio diuturne protraheretur. Prima indicatione ergo in materie ſolvenda, atque e corpore eliminanda poſita, ſecunda in viribus ſervandis, illiſque ſublevandis ponenda erat. Veſicatoria, cortex peruvianus, camphora, ſpiritus Mindereri, & ſerpentaria fuerunt tunc opportuna; quæ medelam & curam abſolvebant. Ubi autem primæ indicationes omiſſæ fuerunt, aut ſurſum turgens materia purgante remedio excernebatur, aut temere ſanguis detrahebatur, per multas ſeptimanas, inter varias calamitates, vires languebant; donec evacuationibus cautiſſime excitatis, deinde cardiacis alexipharmaciſque, ad naturæ vires ſuccumbentes reſtaurandas, exhibitis, lente convaluerunt.

In quinquagenaria femina hujus generis exemplum vidi. Hæc curis, vita ſedentaria, morbis antea ſuperatis, viribus quodammodo fracta, Majo menſe in febrem tertianam ſimplicem incidebat. Fruſtra adhibita ſunt varia

digeſtiva, atque purgationes repetitæ; motus febriles enim nullum ſervare incipebant typum, nulluſque dies a febre vacuus excurrebat, & a chinæ uſu magis ingraveſcebat malum.

Die 2do Junii, cum curæ meæ demandaretur, animo erat dejecto, de inſolito quodam per præcordia doloris ſenſu conquerebatur, horrores incertique caloribus mitioribus alternabant. Pulſus a naturali non multum diſcedebat, cui debilitas quædam conjuncta obſervabatur. Somni ſub deliriis, inſomniiſque excuſſi, breves, neque reficientes erant Caput dolebat. Lingua humida & albeſcente muco tecta. Nauſea urgebat, unde ad vomitum ſæpe pervenit. Urina erat pallida. Alvus clauſa. Saburram mucoſam, pituitoſamque regnantem ſtatim detegi. Enemate injecto venter ſolvebatur, &, mitiorum ſalium mediorum ſolutione propinata, altero die materiam circa ventriculum turgentem vomitu ejiciebam. Pituitæ hæc ejectio ægrotam multum recreavit.

Nauſea vix amplius urgebat. Sed cum reconditam aliquam pituitoſam materiem adhuc ſuſpectam haberem, paucum ſalem medium cum refractis tartari emetici portionibus, & dein potionem illam Riverii præſcripſi. His alvus quidem blande ducebatur, & materia il-

la pituitoſa, quæ ventriculo & inteſtinis adhærebat, ejiciebatur, vehementer tamen adhuc ægrotabat. Moroſa, timida, lecto enim erat adſtricta, ſurditas primis morbi diebus enata, adhuc perdurabat; ſudores aderant fugitivi, parvi, & frigidi; æſtus febriles modicus erat; extremorum frigus aliquando tactu percipiebatur, dum reliquum corpus calebat; urina limpida, nonnum quam turbida ſine ullo ſedimento; deliria taciturna, artuum tremores, tendinum ſubſultus, pulſus inæquales & languidi. Alexipharmacorum, cardiacorum, & ipſius vini his ſub circumſtantiis uſus neceſſarius erat. Valeriana, angelica, ſerpentaria, ſpiritus Mindereri, & camphora, quibus tandem cortex peruvianus ſubjunctus eſt, adhibebantur.

Tandem copioſa ſaliva profluebat, quæ ſub quinti diei finem ceſſabat. Aegra tunc convaleſcebat, & ad integritatem redibat.

Ex hac didici obſervatione.

Imo perinde non eſſe, alienam in ventriculo hærentem materiam purgante aut emetico aggredi, nulloque alio evacuantium genere, id, quod vomitu peragitur, obtineri poſſe.

2do Minus debilitare purgantibus emetica. Eccoproticis non juvabatur ægra, ſed inde pejus habuit, quum emetico evidenter allevaba-

tur. Hinc cl. Stoll dicit „ non indifferens eſt, an emetico an vero purgante in febre ſaburrali utamur, nec alterum poteſt alterius vices ſupplere. Deſpicere oportet, an materies furſum an vero deorſum turgeat. *ee*)

Præter hanc, quam breviſſima via, quidquid alieni in ventriculo collocatur, non modo evacuando, emeticorum uſus adfert opem, ſed & vaſorum & nervorum ſyſtema concutiendo, quo lingua humectatur, caput allevatur, atque æger recreatur, ſummum ſubminiſtrat commodum.

3tio Præmaturum corticis uſum ante requiſitam turgenti materiei evacuationem directe non adhibendum eſſe.

Proximam vero hujus febris cauſam in pituitoſa mcle non quærendam, febrimque comitantem nervoſam fuiſſe, inde perſpicuum eſſe arbitror, quod in reliquis pituita laborantibus, ſola ſolventia, & emetica ſufficiebant, ita ut, excuſſa ſaburra pituitoſa, febris enecaretur; febris, quæ reliquos tenebat, ſtatis horis remittebat, ſive intermittebat, quum hujus febris remiſſiones incertæ fuerunt; mens reli-

---

ee) L. c. Tom. III. pag. 198.

quis ſana, huic confuſa fuit, urina alias præ-rubra, huic pallida; inſomnia denique & nulla putredinis ſive pholgoſeos indicia, nulliſque manifeſtioribus cauſis ſigna reſpondentia nervoſum characterem palam faciebant.

In alia annoſa femina, ubi leves quidam caloris & frigoris ſenſus, præcordiorum anxietates, laſſitudo, capitis dolor, ſpirandi difficultas, unius vel alterius lateris ſecundum hypochondria dolores, pleuritidem ſimulantes, morbum anteibant, ſanguis e vena mittebatur.

Poſt octiduum, vigeſimo tertio Maji meum petiit conſilium. Ægram inveni ſui non conſciam. Arteriarum ictus ſumme parvus, irregularis, & intermittens deprehendebatur. Lingua albido glutinoſo muco obducta tremebat. De morbo interrogata balbutiens confuſe & indiſerte cuncta prodebat. Mox faciei muſculi, mox artus convulſionibus diſtractionibuſque prehendebantur. Acceſſit abdominis tenſio, alvus difficilis, tuſſis ſicca vexans, ſumma virium proſtratio, urina limpida & cutis ſicca. Sanguinem miſſum nulla cruſta tenaci craſſa inflammatoria tectum, nullumque inde levamen ſecutum fuiſſe, ab adſtantibus reſcivi. Ceterum narrabant, per omne hoc tempus de ſapore oris fatuo, & vomendi conatibus conquerentem

ægrotam cibum faſtidiſſe, noctesque inquietas & inſomnes tranſegiſſe. Quale remedium adhibitum fuerit, non ſcio. Hinc, atque etiam ex aliis, quæ præceſſere, ex habitu corporis laxo, crudorum alimentorum abuſu morbum complicatum eſſe ſuſpicabar. Præter ſymptomata enim quæ certe nec ab inflammatione, aut a putrido quodam ſucco derivare potui, quæque nervos præcipue affectos fuiſſe ſignificabant, ſimul adfuere ſigna primarum viarum cacochyliam referentia. Viribus jam valde languentibus in conclamata fere ægra vomitiones, purgationesque, quæ alvi profluvium, aliaque funeſta ſymptomata afferre potuiſſent, temere adhibere timui; conjunxi ideo medicamenta, quæ ſummam virium penuriam, & debilitatem quodammodo reficerent, materiam pituitariam ſolverent ejicerentque. Hauſit nempe ſingulis binis horis cochlearia duo decocti, quod habebat corticis peruviani unciam unam, cui poſt colaturam adjiciebantur tartari emetici grana tria, & oxymellis ſquillitici uncia una. Præterea ſuræ veſicatoriis tegebantur, & aliquot vini rhenani hauſtus propinabantur. Vomuit eodem die pituitam copioſam, & quaternis ſeceſſibus multum colluviei pituitoſæ excernebatur. Hos inter ſeceſſus animi deliquiis corripiebatur.

Pulſus arteriarum parvuli, & contracti erant. Noctem inter deliria tranſeuntia, & inſomnia egit.

Die 24to intermiſſus eſt uſus hujus decocti, quia alvum adhuc bis poſuit, & vires deficiebant. Linguæ conditio emendata erat, & cutis humectari incipiebat. Alterum nunc præſcripſi decoctum ex cortice peruivano, ſerpentaria virginiana, & ſpiritu Mindereri. Per ſex dies continuos ſudore madebat, verum non æquali. Urina mox turbida, nullum ſedimentum præcipitans, mox pellucida erat. Continuabat delirium, noctu vero magis quam interdiu, neque minus ſupererant vigiliæ aut convulſiones.

Die 30mo tandem ulcera aphtoſa oris prodibant, plurimus ſimiliter erumpebat ſudor æqualis, ſequebatur urina craſſa, turbida, ſedimentum deponens, atque nunc per iſtas criſes perfecte ſana evadit. Detergentibus utebatur gargarizationibus. Corticis peruviani decocto, cui aliquid rhabarbari, ut alvus adſtricta ſimul reſponderet, addidi. Ulcuſculis oris purificatis, perrexit debiliſſima ægra adhibere corticem peruvianum, unde vires rediere, & ſanitas reſtituta eſt.

Ex adducta obſervatione, cui longe plures adjicere poſſem, facile liquet, pectoris tales

affectiones aliquando ſimul cum malignis conjunctas, omniſque diatheſeos inflammatoriæ expertes apparere, quæ nullam ferunt ſanguinis miſſionem ſine majori & evidentiſſimo nonnunquam ægrorum periculo; quod non ignorans cl. Brendel, ubi ſummus vir de cognatione, quam habent paraphrenitides cum febribus malignis agit, ſequentia memoriæ tradidit. „ Frequentiſſime ſociam ſe addit peripneumonia ſymptomatica, cui quidem reſpiratio illa difficilior, & anhela cum tuſſicula conjuncta, non autem latenti, ex vulgari ſententia purpuræ tribuenda, neque laterum dolores deſunt, pleuritidis imagine ſymptomaticæ, ſed plerumque leves & rariores, deliriorum ad incrementa procedentium indices ". *ff*) Alio loco in differtatione de pleuritide vernali & æſtiva, ecquis paulo ſtudioſius in obſervandis morbis verſatur in malignarum febrium initiis &c. non attendit dolores pectoris, pulmonumque acutos ſatis, alias fugaces perque thoracem errantes, alias ſtabiliores? referendi huc dolores lateris, Hippocrati pluries memorati, a pleuritidum claſſe diverſi. „*gg*) Et cl. Huxham „: Interdum inæqualis & ſingularum

ff) L. c. §. 7. *gg*) L. c. §. 11.

larum partium calor & rubor, cum magna anxietate, irrequie, delirio, difficultate ſpirandi, & gravi pondere atque oppreſſione præcordiorum ſuccedunt; ita, ut aliquam adeſſe poſſe peripneumoniam, minus cautus credere queat obſervator: ſed hic inprimis cave, ne ſanguinem mittas &c. ". *bb)* Mixtum morbi ſtatum ex pituitoſa colluvie & afflicto nervoſo genere ſtatim cognovi: quum vero nervoſa ſymptomata magis urgerent, indicantia a vitioſa materie directe non erant deſumenda, optimo itaque cum ſucceſſu, evacuantibus cum roborantibus mixtis, ægrotam ſervatam atque reſtitutam vidi.

Perſiſtebat hujuſmodi pituitæ diſpoſitio per æſtatem, & cum non raro contingat, ut ſecundum varia anni tempora, ut æſtate febres putridæ, autumno bilioſæ, choleræ, dyſenteriæ, & eodem modo morbi hyemales, & vernales etſi non ſemper in iis aliquid epidemici annotare licet, ſporadicæ ægritudines, quibus dominantis febris genius ſe nonnunquam jungit, hunc vel illum affligant; ſic hinc inde etiam vigentem conſtitutionem pituitoſam ab humo-

bb) L. c. Tom. 2. p. 85.

rum liquatione comitatam fuiſſe vidi. Imo evenit aliquando, ut putridæ hæ febres ſimul malignæ fuerint indolis. In binis, quorum alter paganus erat, & medicinam ſumere recuſabat hocce obſervare mihi contigit, altera, cujus, hiſtoriam in medium proferre liceat, urbana, nutrix erat.

Hæc aliquot ultra viginti annos nata habitu corporis aliquantum tumido, obeſo, cæteraquin ſana, neque impurioribus humoribus ſcatere viſa, poſtquam ſuam prolem per anni dimidium fere lactaverat, concredita eſt illi nutritio infantulæ cujuſdam. Toto lactationis tempore, quum ab amaſione ſe deluſam videret, diuturno mœrore afflicta erat.

Diebus 24. 26. &c. Maji menſis tertiana ſimplici prehenſa eſt. Febris emeticis, ſolventibus & leniter purgantibus fugata fuit, & convaleſcere videbatur; ita ut, ulterius adhibere medicinam, & diæteticis veſcendo pinguia & carnes infumatas, ſeſe adſtringere recuſans regulis, denuo nutricis vices ſubiret.

Die 18vo Junii poſtquam alumnam ſuam per annum jam lactaverat, conqueſtam de ſumma capitis debilitate, præcordiorum anxietatibus, virium defectionibus, leves horrores caloribus intermixti illam crebris ad vomitus ſti-

mulis prehendebant. Pulſus erat parvus, & celer. Lingua glutinoſa, & mucoſa ſorditie obducta. Oris ſapor pravus. Alvus per quatriduum compreſſa. Urina tenuis. Vigiliis vexabatur, & interdum delirabat. Ob saburræ pituitoſæ ad precordia orgaſmum, ea, quæ vitioſos illos humores educerent, non fine utilitate me adhibiturum exiſtimavi. Solventibus præmiſſis, emeticum propinatum vomitiones multas pituitoſas, & dejectiones foetidas effecit. Uſus horum remediorum vero parum ſalutaris compertus eſt. Tarda enim & debiliſſima manebat ægra. Inſomnia & inquietudine laborabat. Horror & æſtus alternabant. Pulſus erant debiles, celeres, tremuli. Urina nunc pallida, nunc turbida. Lingua ſordida. Manus & lingua tremebant, & tendines in carpis ſæpe ſubſiliebant. Ceterum nullo dolore vel ſiti afficiebatur. In triſti hoc rerum ſtatu per ſeptimanam verſabatur ægra, de die per aliquot horas lecto adſtricta. Per totum hoc tempus indocilis ægrota remedia ex cortice peruviano, vel ſpiritui Mindereri, vel camphoræ, vel ſali ammoniaco maritato, interpoſitis eccoproticis lenioribus, aut non aſſumpſit, aut quidquid ori inditum eſt, non deglutivit.

Die 28vo graviore morbo facto, lecto

deſigebatur, pulſus debiles exigui perſeverabant; caput temulentia, & ſtupiditate quadam gravabatur, ſudores breves, frigidi, inæquales emanabant, & per intervalla delirabat. Lingua mucoſa in medio ſicca erat. Sitis nulla. Somnus nullus. Auditus obtuſus. Urina pallida. Accedebant ſpaſmodicæ faciei contractiones, alternique genarum æſtus & frigora.

Die 29no dejectiones alvinæ involuntariæ fœtidæ cum ſumma virium proſtratione. Delirium mite cum inquietudine, pervigilio, ſudoribus frigidis & glutinoſis. Extrema frigebant, & facies rubore, & fervore omni momento ſuffundebatur. Manus & pedes ſpaſmodicæ affectiones tenebant. Monita ægra de gravi morbo, morte certiſſime ſubſecutura, remedia, & alia quam quas jam præſcripſi, deſiderabat. Iniecta ideo fuere enemata ex chamomilla cum camphora, & præter decoctum ex cortice peruviano, addito elixirio vitriolico, inter potum dabatur elixir vitrioli, & pulveres ex moſcho, camphora, & ſerpentaria, & veſicatoria ſuris adhibebantur.

Die 30mo maculæ floridæ rubicundi coloris, petechiales, pulicum morſibus ſimiles in collo, pectore, & abdomine, intermixtis exanthematibus miliaribus tam rubris, quam albis,

cum ſudoribus acidis profuſioribus erumpebant. Lingua arida, tremula, & nigra erat. Pulſus vix perceptibiles, & quandoque elatiores facti, denuo ſubſidebant. Oculi triſtiores, & ſurdidiores aſpectu erant. Facies cadaveroſa. Urina craſſa, turbida. Stupida & clamore vix emota, non diſtincte reſpondebat, *ii*) Membrorum frigus tactu percipiebatur. Sequebantur deliria fugacia, & obſcuriora circa res conſuetas, tendinum tremores; & ſubſultus, alvi ſedes, inſcia ægrota, putridæ, & inter potandum ſonora deglutitio obſervabatur.

Tentata ſunt varia adhuc excitantia, antiſpasmodica, alexipharmaca, & anteputredinoſa. Sed in caſſum erant omnia. Accedebant convulſiones cum tremoribus, & tandem inter profuſiores circa caput & collum ſudores apoplectico modo 3tio Julii vitam finiebat.

Si omnium concurrentium ſymptomatum Συνδρομὴν perpendimus, ac antecedentes cauſas preſſius paulo examinamus; manifeſtum erit, noſtram ægrotam duo morborum genera, pitui-

ii) „ Vocis defectiones in febre, quae convulſionis ſpeciem prae ſe ferunt, & in mentis emotionem cum ſilentio deſinunt, perniciem oſtentant. " Coac. 248.

toſam ſaburram ſociatam ſibi habentium, ſimul infeſtaſſe; præter putredinis ſigna enim ex vitioſa hac colluvie primarum viarum originem trahentia, ſimul aderant ſymptomata nervoſa, quæ illi, quæ aderat, putredini non reſpondebant, & quæ certe a putredine, quaſi vera & unica cauſa, derivare non poſſum.

Solidis torpeſcentibus, animo infracto, & demiſſo praedita, febre intermittente corripiebatur; mature quidem petiit conſilium, & aptis propinatis medicamentis, febris quidem emanſit; variorum vero alimentorum ingeſtio, imprimis ſcilicet duriorum & ex victu animali, ubi viſcera digeſtioni inſervientia, jam debilitata fuerint, digeſtionis negotium denuo offendit, & corporis humores ad putredinem diſpoſuit. *kk*) Præter hæc & alvus, & forte tranſpiratio ſuppreſſa, *ll*) & aeſtas, *mm*) putridæ corruptioni anſam præbere potuit.

Nulla enim alia apparens putredinis cauſa aderat, nullus tunc temporis morbus putridus

---

kk) Conſ. cl. V. SWIETEN Tom. I. p. 116. & cl. QUARIN de curandis febribus p. 48.

ll) V. SWIETEN. Tom. 2. p. 139.

mm) „Morbi, quos aeſtas & autumnus gignit, ſeptici quid, maligneque ferunt, aut in malignos facillime mutantur." STOLL. l. c. T. 1. p. 33.

graſſabatur, ubi ex epidemico contagio originem traxerit morbus, quum mitior epidemici morbi genius, quem aeſtas exceperat, tantam humorum diſſolutionem non effecit. Complicationis ſuſpicionem movere poterant, imprimis ſymptomata nervoſa, a morbi invaſione ſtatim conſpecta; in humorum reſolutione, in morbi vigore potiſſimum ſeſe manifeſtante, certe non quærenda; eamque confirmabat, inhærens nervoſo ſyſtemati debilitas ex diuturna & frequenti animi triſtitia, ex morbo prægreſſo, & conſtitutionis epidæmice conditio, quæ huic nervoſarum febrium generi favebat, atque in vegetioribus febrem ſimplicem gaſtricam, ſub nimia autem laxa corporis conditione gaſtrico-nervoſam accendebat. Præterea teſtantur optimorum practicorum obſervationes, febres putridas absque contagio non tam gravia ſymptomata nervoſa conjuncta habere, ſicut febres putridæ, quæ ex contagio originem ducunt. *nn*)

Evenerat denuo in hac ægrota cacochyma & imbecilli, quod non raro in complicato morbo medico occurrit, & in præcedentibus aegris accidit, ut nonnulla ſcilicet ex indican-

---

nn) Vid. cl. SELLE pyretolog. p. 168.

tibus inter ſe contraria, & oppoſitam ſibi medendi rationem poſtulent. Dejecta enim vitae vis, & nervoſi ſyſtematis ſymptomata, unice ab alienatis ad ventriculum & inteſtina delatis humoribus ortum ſuum non trahentia, evacuantia non permittebant; quum vero orgaſmus fomitis corruptæ maxime urgeret, & liquationis putridæ rudimenta nondum apparerent, illi initio morbi præ alia ſatisfacere conabar indicationi. Nihilominus tamen corruptæ illius materiæ reſorptione in ſanguinem præcavere non potui. Vires maxime proſtratæ tunc erant erigendæ, humorum putredo jam coepta corrigenda, & per varia corporis colatoria educenda. Hinc & pro indicantium varia ratione naturæ molimina obſervando antiſeptica, excitantia & antiſpasmodica, ſolventibus, ſudoriferis mixtis, & catharticis interpoſitis, præſcripta ſunt. Quæ cum reſpueret contumaciſſima ægrota, & cuncta in pejus ruerent alia quidem exoptavit medicamenta, & varia etiam ſumſit ſtimulantia, alexipharmaca, anteputredinoſa, ex quibus elixir vitrioli, *oo*) aqua diluta,

oo) Non poſſum quin magnae illius differentiae inter acidum vitrioli & elixirium vitrioli mentionem faciam: non in omnibus enim putridis fe-

præcipue placuit; at pertinax nimis, & inſuperabilis nervorum ſyſtema afficiens latens cauſa, & humorum reſolutio fuit, ita ut 15to morbi die extincta ſit.

Febris nervoſa pituitoſa cum vermibus complicata.

Quanta ex vermibus in alimentorum canali hærentibus oriantur mala, experientia abunde docet, & ex epidemia verminoſa, quam cl. vanden Boſch obſervavit, ſatis cognita ſunt: non paucos hic mihi obſervatos caſus poſſem referre, in quibus ſopores, ſtupores, deſipientiæ, convulſiones, & alia inde originem tra-

---

bribus indiſcriminatim adhibenda ſunt: multoties in putridis febribus celebratur acidum vitrioli, quod hic certe non conduxiſſet, niſi calida medicamenta, ut aromata illa calefacientia, quae foſſilis huius acidi frigidam qualitatem emendant, qualia in elixirio vitriolico ſunt, ſimul coniuncta fuiſſent. Idem etiam valet de reliquis medicamentis; evacuantia enim, cortex, diaphoretica, veſicantia, camphora, aliaque, quae omnia a tot magnis viris in putridis febribus laudantur, haud ſine ullo diſcrimine adhibenda ſunt. Qui plura de his ſcire cupit, adeat cl. SCHROEDER, l. c. T. II. de febrium putridarum differentiis, & cl. SELLE l. c.

xiſſe vidi. Quis mirabitur itaque, ventriculum & inteſtina occupantes vermes, & varias ad febres accedentes, omnia graviora atque atrociora reddere ſymptomata? Unicum ejuſmodi complicationis exemplum etiam hac æſtate vidi.

Juvenis quidam, qui ſuperiori anno febrem inflammatorio-biliofam cum exanthematibus miliaribus paſſus eſt, & quem curæ atque ſollicitudines multum exagitaverant, 22 annos natus, male ſani corporis habitus, lucri percupidus, atque negotiando ſibi victum parans, ſub finem menſis Julii tempeſtate tepida & pluvioſa frequentius æſtuans, primo Auguſti die cum levi horrore, calore, nauſea, laſſitudine, vertigine, capitis dolore, aurium ſuſſurru, ſudoribus colliquativis male ſe habere cœpit. Lingua ſordida, pituitoſa. Arteriarum pulſus parvi, frequentes & celeres. Pharmaco ſalino uſus, exacto nychthemero, medicamentum vomitorium ſumſit, quod multam pituitam excuſſit. Veſperi quum nulli ſeceſſus, inditum enema eſt, quod plurima mucoſa ſubtraxit.

Subſequenti nocte inquietudines, vigiliæ, anguſtiæ, jactationes, atque ſubdeliria.

Acceſſerunt tertio die ſingultus, tremores, ſudores inæquales, genæ fugaciter rubentes, & arteriarum pulſus intermittentes.

Præter pulveres e moſcho & camphora, emplaſtra veſicatoria ſuris imponebantur.

Medio die excruciari abdominis dolore coepit aeger, & vomitu ſpontaneo longum teretem vermem, qui ſub nomine lumbrici venit, ejecit.

Veſperi non amplius ſingultiebat, pulſus naturalibus parumper celeriores, neque intermittebant, & levari modice videbatur aeger.

Die 4to nauſeoſum, lingua trementi, ſubrubida, ſicca, pulſu celeri & languido inveni. Alvus ſuppreſſa, doloroſa. Urina clara. Enema imperavi, a quo multa mucoſa feceſſerunt. Decoctum ex radice valerianæ, cortice peruviano, adjecto ſpiritu Mindereri, revomuit.

Die 5to propinatis heſternis, & aliis pharmacis ex camphora, moſcho, ſerpentaria, ipſo opio, & vino, malum nihilominus increvit, & omnia ſurſum vomitu ejiciebantur. Somnus nempe erat turbatus, noctes inquietæ, ſimiliter & dies. Miti delirio deſipuit, & ſudores habuit breves, inæquales & frigidiuſculos. Pulſus nunc parvus & tardus, nunc celer & frequens, calor inæqualis, auditus difficilis, & animus inquietus. Oculi fulgebant, apex naſi auriſque extrema frigore afficiebantur, ſponte

nil deſiderabat, & animi deliquiis corripiebatur. Alvus pigra perſiſtebat, quæ, enemate injecto, ſollicitabatur, quod præter mucoſa aliquot vermes ſubtraxit.

Die 8vo, quum ad hanc uſque diem non nihil obambularet, & extra lectum in ſella conſideret, lectum deſerere non potuit, & cum nonnunquam cubitu ſurgere moliebatur, in dorſum relabebatur. De morbo interrogatus bene ſe habere aſſerebat, etſi totis artubus tremebat. Ab aſſumtis medicamentis nil ſolaminis habebat, quum maxima ex parte nauſeoſus fuit, & vomitu rejecit.

Circa veſperam accedunt deliria mitiora, arteriarum pulſus exiles, inæquales, deglutitio difficilis, *pp)* extrema frigida, coma vigil, tendinum ſubſultus, univerſi corporis convulſiones, & media nocte mors.

Licet non diſſimulandum ſingultum, aliave ſymptomata ex parte a vermibus excitata fuiſſe; plurima & ſingularia hujus morbi ſym-

---

pp) „ In febre vexato, collum repente perverſum, ac vix deglutire poſſe, nullo exiſtente tumore lethale. “ Aphor. 35. l. 4. ſect. 7. & Coac. praenot. 277. „ Per febres repente ſtrangulari, & devorare non poſſe, citra tumorem malum eſt. “

ptomata, ſedulo inter ſe & cum reliquis comparata deficientibus putredinis aliiſve manifeſtoris cauſæ indiciis, occultioribus ex originibus hanc febrem generatam, vermes ſymptomaticæ inſtar affectionis huic ſupervenientes hunc morbum comitatos, & ex hac fonte originem non traxiſſe, nos certos reddidere.

Animi affectibus nervorum ſyſtema laceſſentibus, quo triſtitia, metus, cura, divitias augendi cupiditas referenda, diætæ erroribus aliiſque ad morbum ſuſcipiendum diſponebatur, quibus perſpirationis impedimento, aliiſve forinſecus advenientibus cauſis, febris excitabatur.

Demiratus ſum in hoc aegroto, qui in primo morbi ſtadio viribus adhuc ita valere videretur, ut ſolus electo ſurgeret, ab aliis parum ſuſtentatus incederet, ſtaret; accedente vero ſecundo morbi ſtadio, non ſufficientibus ad coctionem viribus neceſſariis, abſque ulla criſi malignis affectionibus apoplectico modo exſtinguebatur.

Variolae cum febre nervoſa.

Ratione febrium variolas concomitantium, nunc mitior, nunc periculoſior morbi decurſus eſt; longe diſparem enim obſervamus variola-

rum decurſum & eventum, quibus febris inflammatoria adeſt, quas febris putrida comitatur, quando biliofæ indolis eſt, quando cum conſuetis nervoſæ febris ſymptomatibus morbus incidit, aut denique vario modo complicatæ conditionis ſit. qq)

Facile hinc patet, magni momenti in variolarum curatione eſſe, ſi hæc bene diſtinguantur, & ad ipſam conjunctam morbo febrem curatio dirigatur; integrum mihi itaque ſit, quaſdam addere hiſtorias variolarum cum nervoſæ indolis febribus conjunctarum.

Puella annos circiter ſeptem agens, 31mo Decembris die 1784 moerens, impatiens de capitis lumborumque dolore multum conqueſta eſt. Verſus veſperam horror incurſat, quem aeſtus excipit levis pulſu celeri & debili.

Die 1mo Jan. Nox erat inſomnis, inquieta. Modice incaluit. Vehementior capitis, lumborum, & artuum dolor. Animus triſtis. Laſſitudo magna, ita ut erecto capite ſuſtineri non potuerit. Urina pallida. Lingua albida.

---

qq) Conf. cl. SCHROEDER. l. c. diſſert. circa variol. diſtribut. ratione febr. cum &c. reſp. cl. FEIN, & cl. HUXHAM. l. c. diſſert. de variol. T. 2. p. 121.

Nauſea, & vomendi conatus. Dato emetico, multum evomuit, dejecitque, nullum vero in modum levatam vidi ægrotam.

Die 2do Jan. Præter auctam debilitatem & ſuſpiriofam reſpirationem, ſymptomata eadem.

Dum variolæ hoc tempore epidemice graſſabantur, & nunquam antea has paſſa erat ægrota, hunc morbum in ægrota ſuſpicabar. Methodum vero univerſalem antiphlogiſticam hic non locum habere, ſed ad vires languentes excitandas, ſic dictis alexipharmacis hic opus eſſe, & regimen calidius obſervandum exiſtimabam. Veſicatoria ſuris apponebantur, & emulſio camphorata propinabatur.

Die tertio, quarto, & quinto Jan. Cæteris manentibus, æſtus & horror alternabant, acceſſere & deliria mitiora, & breves ſudationes.

Die ſexto tandem cum univerſum corpus ſpectarem, in pectore, dorſo, & lumbis maculas pallidas videbam. Symptomata vero non erant levata. Pectus enim adhuc erat oppreſſum, inquietudo magna cum artuum tremore. Omni bihorio ſumſit pulviſculum ex moſchi granis duobus, camphoræ grano uno, & ſacchari granis decem. Potus erat vinum aqua æquabiliter dilutum.

Die 7mo Jan. Tota præcedente nocte in-

quieta & vigil erat. Exanthemata numero quidem aucta ſunt, & in collo & facie etiam prodibant, ſed erant depreſſa & pallida. Pulſus languebant. Vinum, & potio ex radice valerianæ, cortice peruviano, additis aliquot camphoræ granis, exhibebantur.

Die 8vo Jan. Nova puſtularum copia erumpebat. Ob pectoris oppreſſionem, anhelofam reſpirationem, amplum pectori imponebatur veſicatorium.

Die 9no Jan. parumper ſeſe elevabant, ſero limpido ſemiplenæ.

Die 10mo Jan. confluebant, & maturationem aliqualem aſſequi incipiebant. Urina turbida, at feculenta erat, & alvus ſponte ſua reſpondebat. Corticis peruviani decocto ſpiritus Mindereri addebatur. Potionibus theatis ex floribus ſambuci oxymel ſquilliticum adjiciebatur.

Die 11mo Jan. oculi clauſi, febris moderata, copioſus ptyaliſmus.

Die 12mo nox tranquilla, manuum tumor.

Die 13tio ſalivatio parca, alvus fluens.

Die 14to Jan. exanthemata ubique incruſtata exareſcere, atque indurari incipiunt.

Die 15to tandem & ſequentibus diebus vario-

variolae exareſcentes decidere incipiebant. Sudoribus nocturnis madebat, & per omnia bene habebat, ita ut cibum appeteret. Per aliquot ſeptimanas, interpoſitis lenioribus eccoproticis, in uſu corticis peruviani perrexit, ſanaque evadit.

Atmoſphæræ conditio, & epidemica conſtitutio quidem talis erat, ut ad inflammatorias febres excitandas prona eſſet, *rr*) & omnes, qui hoc tempore variolis decumbebant, diatheſin ſanguinis inflammatoriam conjunctam haberent, ubi nonnunquam plus minuſve corruptæ, & vitioſæ materiæ bilioſæ complicationem vidi.

Tales variolæ validiorem febrem comitem habere ſolebant, & jam ſecundo vel tertio die erumpebant; nullis vero periculoſis vel ſeverioribus ſymptomatibus ſtipatæ erant, quando juſtis auxiliis antiphlogiſticis inflammatio imminuebatur, aegri ſaepius electo eximebantur,

---

rr) Morbos, qui hiemali praeſertim tempore oriuntur, ad inflammationes pertinere iam HIPPOCRATES notavit, cum inquit in aphoriſmis ſuis lib. 3. n. 26. „ Hieme morbi laterales pulmonum, inflammationes, lethargi, gravedines, raucitas, tuſſis, dolores pectorum, laterum, & lumborum, capitis dolores, vertigines, & apoplexiae. “

& ubi ad excretionem præparata & mobilis fuerit materia aliena vomitu expellebatur. Pro varia autem aegrotantium corporum conditione maxime diſcrepante incedebant curſu. Noſtra enim aegrota pallida & laxiori corporis habitu prædita, *ſſ*) inflammationi creandæ quam maxime obſtabat.

Febris exigua exacerbationes habuit ſuas incertas, perinde ac febris nervoſa. Pulſus debiles. Renes pallidam urinam ſecernebant. Septimo a ſuſcepto contagio die maculæ prodibant, primo in pectore, dein in facie apparebant. Nulla erat ab eruptione ſymptomatum levatio, lente & difficultes ſeſe extollebant, tenuiſſimum humorem continebant, nec decenter matureſcebant, quam imperfectam maturitatem copioſiori ſalivæ affluxu optimo cum ſucceſſu ſupplebat provida natura.

Infans triennis (aliis tum jam in eadem domo variolis decumbentibus) a primis fere cunabulis maleſani corporis habitus die 16to

---

ſſ) Huc ſpectant, quae leguntur apud cl. HUXHAM. l. c. Tom. 2. p. 133. „ Quando homines fibris laxatis debilibus, & tenui meroque ſanguine prædití, aut qui paulo ante magnas perpeſſi ſunt evacuationes, variolis infeſtantur, ne lanceolam applices, ſi aegroti vitam ſervare velis."

Jan. 1785 laſſitudine, nauſea, vomitione, & levi febri correpta erat. Lingua albida & ſordida. Vomitus ſpontanei, arte concitati, pituitam educebant.

Die 17mo Jan. hebes & comatoſa jacebat de niſu adorientium variolarum ſuſpecta; de eventu admodum anxius eram & malum exitium ominabar. Epiſpaſtica plantis pedum applicabantur, pro potu ſerum lactis vinoſum dabatur.

Die 18vo belle ſe habere videbatur, ſic ut cibum appeteret.

Die 19no pulſus citatior. Tuſſis ſicca. Urina pallida. Cutis arida. Alvus adſtricta clyſtere ſollicitabatur.

Die 20mo pallida facie, pulſuque parvo & debili, & ſopore profundo decumbit. Veſicatoria ſuris apponebantur, & emulſio cum camphora adhibebatur.

Die 21mo abſentibus ſignis latentis in ventriculo ſaburræ multum vomuit magna cum anxietate, atque inquietudine.

Die 22do hic & illic ſtigmata pauca & diſtincta, intus quaſi cohibita & depreſſa deprehendi. Circa veſperam tremores & tendinum ſubſultus, Præter camphoram moſchus dabatur.

Die 23tio tremores ſilebant, & jam aderant copioſiora ſtigmata.

Die 24to in puſtulas exiguas ſunt elevatæ.

Die 25to multo plures puſtulæ viſibiles ſunt, quæ aqueam recludebant materiam, & in medio concidentes fuere. Extrema frigebant. Extractum corticis peruviani & vinum adhibebatur.

Die 26to in corpore univerſo confluebant, & ſubinde quædam puſtulæ ruptæ materiem tenuem fundebant.

Die 27timo tota facies, flavida cruſta tecta, apparebat. Alvi dejectiones copioſæ, ſanioſæ. Sequebantur tremores, ſopor & mors.

Epidemice tunc temporis regnantes variolæ putridæ febrem indolis ex vitioſæ bilis fonte originem trahentem conjunctam habebant. Nulla vero in noſtra ægrota ad putredinem diſpoſitio aderat. Pulſus celer & debilis, urina pallida, horroris & æſtus alternationes, ſitis defectus, & tarda eruptio veram malignæ, vel nervoſæ febris indolem denotabant.

Deficiebat actuoſitas illa naturæ ad elevandas, ac maturandas puſtulas, licet vis vitæ alexipharmacis adjuvaretur, ſimilibuſque in caſibus maxima cum utilitate talia exhibita fuerint, quæcunque tamen artis conamina eludit ac aſpernavit natura.

Ex his itaque videre eſt, in omnibus va-

riolarum ſpeciebus adeo hodie celebratam antiphlogiſticam methodum commendandam non eſſe, interdum ſymptomata adeſſe, quæ calidam, quæ antea in curandis variolis in uſu erat, exigere videntur, atque ad febrium diſcrimen variolas concomitantium magis, quam ad reliquas differentias attendendum eſſe.

Quemamodum in variolis, ſic etiam in morbillis, ad eam, quam conjunctam ſibi habent febrem, reſpiciendum eſt; quum pro varia ægrotantium conditione, pro anni temporum, tempeſtatum diverſitate, & pro varia epidemica conſtitutione, diverſa facie ſe ſiſtit hic morbus, & ſubinde ad febrem nimirum moderandam venæ ſectionem, & pro circumſtantiarum ratione etiam iteratam, quandoque, nulla morbillorum ratione habita, bilis vitiatæ & humorum putredinis oppugnationem, nonnunquam vero, ut nervorum infirmitatem, febrimque languidam, nervoſa ſua indole ſatis conſpicuam, cardiacis & alexipharmacis ſuſcitemus, exigit. Morbilloſos complures autumno 1784 curavi. Ordinarie præ aliis febribus morbillos potiſſimum bilioſas, quibus nonnunquam aliquid phlogiſticæ diatheſi ſeſe aſſociavit, adamaſſe, obſervavi. Plurimis os amarum, ructus amari, lingua ſordida, pectoris oppreſſio, ca-

lor magnus erat; emetica, ſalina, nonnunquam & phlebotomia cautiſſime inſtituta, optimum præſtabant auxilium; debito enim & regulari tempore prominebant, opportune exſiccabant, & ſine ullis difficultatibus morbus feliciter ſolvebatur. Nonnullis, etſi perpaucis, infirmiori corporis habitu præditis, exceptis. In his enim non ita morbus procedebat, ex languidiore naturae motu exanthematum eruptio retardabatur, & ſeptimo vel octavo nimirum die primum circa humeros, & pectus, dein in facie prodibant morbilli. Animus tunc ab epidemica conſtitutione avertendus, & ab omnibus, quæ evacuationem moliuntur, medicamentis, niſi neceſſitas urgeret, abſtinendum erat.

Duo hujuſmodi aegrotantium exempla narrabo.

Inter tres pueros, qui Septembri menſe 1784 morbillis corripiebantur, unus erat pallida facie, octo annos natus, qui tuſſi ſæpius laborabat. Is octavo Septembris tuſſicula, ſternutatione, atque vomitu corripiebatur. His ſupervenere frequentes horripilationes cum intermixtis caloribus, cephalalgia, oculi lacrymantes, noctes inquietæ. Ob albidam linguam, vomendi conatus, & ciborum faſtidium emeticum propinatur. Infirmitas, quæ primis die-

bus ægrotum adhuc ambulare ſivit, augebatur, deliria mitiora ſymptomata priora comitabantur, & ſpaſmis tenebatur. Pulſus erant parvi & celeres, urinæ tenues. Veſicatoria ſuris, & emulſio cum camphora adhibebantur. Octavo tandem morbi die morbillorum eruptio contingebat, qui maculas pallidas circa humeros & pectus ſeſe exſerentes, referebant. Nulla tamen ſymptomatum fit levatio; tuſſis humida cum pectoris oppreſſione, & difficili deglutitione valde torquebat. Vires vitæ languebant, & artus tremebant. Præter gargariſmata ex decoctis leniter mollientibus, & ſyrupum pectoralem ex oximelle ſquillitico & ſulphure antimonii aurato, pulveres e camphora & antimonio diaphoretico non abluto exhibebantur. Efflореſcentiæ, inter quas quædam rubræ, aliæ pallidæ conſpiciebantur, nunc magis erumpebant, atque unam cuticulæ partem poſt alteram occupabant. Facies refertiſſima erat. Sub finem quarti diei ab eruptione incepta exſiccari, atque deſquamari incipiebant morbilli, tuſſis & pectoris oppreſſio nonnihil remittebat, cutis mollis & humida fiebat. Mixtura diaphoretica ex ſpiritu Mindereri & aqua florum ſambuci confecta, lenem tranſpirationem, quam natura civerat, promovit, qua febris ſolveba-

tur. Nihil incommodi, præter tuſſim moleſtam & virium debilitatem, remanſit, protracto vero corticis peruviani & lichenis islandici uſu, adjecto oximelle ſquillitico convaluit, & evanuit tuſſis, quam poſtea nunquam expertus eſt æger. *tt*) Advocabar ſeptembris menſe ejuſdem anni ad aurigae cujuſdam filiolum quinque annorum.

Mater narrabat, quod jam diu ſanitatis incommoda perſenſiſſet puer, quum pallidus, emaciatus, ſæpius diarrhoea corriperetur, & abdomen expanſum haberet.

Præſens malum initium cepit cum vehementi aegritudine, & aſſidua in ſomnum pro-

---

tt) Graviores & pertinaces poſt morbillorum deſquammationem remanentes tuſſes cum parca & tenaci exſpuitione, neque reſolventibus ſtimulantibuſque perdomandas; imo etiam exaſperatas, lichenis islandici uſu oppugnatas vidit doctiſſimus vir MARCUS HERZ in ſecunda epiſtolarum ad medicos ſylloge. Statim vero ſummo iure ſubiungit idem cl. vir, quum non ſemper una eademque morbi conditio ſit, temperamentum aliquod, & ſummam cautionem in huius uſu adhibendam eſſe, & exacte ſuis explicuit, & ex collatis ſuis obſervationibus, & chemica huius remedii analyſi optima & lectu digniſſima tradidit praecepta, quando & quomodo tam in pectoris, quam in reliquis morbis iuvare poſſit.

penſione, cita & ſuſpirioſa reſpiratione. E naribus tenuis humor exſtillabat, qui crebras ciebat ſternutationes. Oculi tumentes atque lacrymantes erant. Febris non erat magna. Quandoque etiam delirabat. Accedebat nauſea, & omnium eorum, quæ aſſumebat, vomitus. Producebantur haecce ſymptomata ad ſeptimum usque diem, quum convulſionibus corriperetur. Quibus ſponte deſinentibus, macularum eruptio pallidarum, morſus pulicum teferentium, modiciſſime elevatarum, circa femora, ventrem & pectus prodibant.

Quum nunc primum 17mo Septembris, poſtquam evanuiſſet efflorescentia, aegrotum viderem, continua diarrhoea plane confectus jam ſuccumbere videbatur. Nullum febris præſentis criterium ex pulſu deſumere potui, quum adeo langueret, ut arteriarum ictum vix explorare potuiſſem. Extrema levioribus convulſionibus infeſtata, frigebant. Quo in ſtatu cum deprehenderem aegrotum, fricationes, epiſpastica cruribus, & veſicatoria ſuris adhibita ſunt, adſumſit & pulveres ex moſcho, ſerpentaria & camphora confectos, præter hæc vinum, & laudanum liquidum Sydenhami, cujus guttas ſex ad decem propinavi. At non obſtante efficaciſſimorum remediorum uſu, miſere ſequenti nocte ſuffocatus periit.

Has quod attinet obſervationes, ex ſymptomatibus ſatis perſpicuum eſſe ſuſpicor, graviora ſymptomata, quæ morbilloſos hos comitabantur aegrotos, nulli certe ſanguinis abundantiæ, nulli alienæ circa præcordia materiæ, nec minus humorum pravæ qualitati ſive putredini; nervoſæ vero veroſimillime perturbationi, a morbillorum ſeminio inductæ, tardam ultra conſuetum terminum eruptionem debilitatae nimis naturæ, alvique fluxum in ſecundo aegroto acri materiae morbilloſae, inteſtina irritanti, adſcribenda fuiſſe. Falleretur itaque ſane, qui nullo modo febrem reſpiciens, omnium morbillorum curam una eademque ratione abſolvere vellet.

Binas, quas obſervaſſe mihi contigit circa phrenitidem hiſtorias, adnectere mihi liceat.

HISTORIA I.

FEmina, 50 circiter annos nata, a curis, atque animi pathematibus variis, triſtis, cogitabunda, gravi moerori immerſa 23tio Auguſti 1781 meam periit opem.

Ante annum, poſtquam ab aliquot jam ſeptimanis mariti valde amati mortem fleviſſet, curru, quo vehebatur, in itinere ſubverſo, ca-

put ad lapidem graviter alliſerat, indeque oſſi frontis ſuper oculum ſiniſtrum aliquot pollicum longitudine, quaſi cultro diſſectum vulnus inflictum erat. Ab eo tempore vertiginoſa, & capitis dolore vexata erat.

Per quatriduum ad minimum jam leviter febricitabat, deſipiebat, & minus appetebat.

In lecto nunc decumbens aegra ſumme languebat, de doloribus per thoracem & præcordia querebatur, madore frigido perfundebatur, & noctes cum multa jactatione inſomnes tranſigebat. Arteriae debiliter admodum & inordinate ſe vibrabant, urina intenſe rubeſcebat, & ſedimentum lateritium praecipitabat. Alvum dejecit, neque guſtu depravato, neque nauſea vel vomitione afficiebatur. Cum autem linguam inſpexiſſem, multo albido muco, nulla ſiti urgente, obducta erat. Mixturam ex ſale medio præſcripſi, qua dejecta ſunt pauca excrementa. Nox inſequens irrequieta fuit.

Die 24. Auguſti pulſu celeri, duro, & pleniſſimo plurimum deſipuit, ſanguinis uncias decem illico detrahi juſſi, qui nulla cruſta phlogiſtica tegebatur. Exhibebantur potiones cum copioſo nitro, & alvus clyſmate movebatur.

Veſperi ejus diei reverſus aegram modo huc, modo illuc, ſe jactantem & furioſe deli-

rantem, ita ut alias placidiſſima femina adſtantibus timorem incuteret, ſudore perfuſam inveni. Tendines tremulo ſubſultu affectos, & pulſum debilem vibrantem obſervabam. Multum mihi tunc dolebat animus de ſanguinis evacuatione, a qua nihil emendatam, quin potius omnia deteriora vidi; veſicatorium latum & magnum ad nucham applicandum curavi, & pulveres, qui largiores camphoræ doſes continebant, tertia quaque hora repetendas, præſcripſi. Noctem inter furias exegit, identidemque e lecto exiliebat.

Die 25to Auguſt. mitius delirabat, interrogata non reſpondebat, & alloquentem reſpiciebat. Labia ad ſermonis ſpeciem movens muſſitabat. Pulſus humillimi, tendines ſalientes, ſudores exigui. Urinæ & linguæ conditio me latebat. Remedia eadem. Sub noctem ſubriguit, poſtea ſubſecutum eſt ferox, & perpetuum delirium, ſublata reſpuit, & protervum reſponſum dedit.

Die 26 Auguſt. quodammodo quieta & minus furioſa erat, ita ut interrogata, licet inepte reſponderet, ſubinde ingemiſcebat, & reſpirationem ſuſpirioſam edebat, ſudore tota nocte profuſo madebat. Pulſus frequentes, debiles, lingua ſicca, albida, urina clara ac te-

nuis. Oblata denuo ſorbebat. Alvo obſtructa, enema imperabatur. In potus locum ſerum lactis vinoſum dabatur, & ſpiritus Mindereri, cui camphoræ ſcrupulum, ſpiritum vini ſolutæ, admiſtum fuerat, præſcribebatur. Nox vero deterior erat, recrudeſcebant enim ſymptomata, & plus quam præcedenti nocte ſæviebant. Reſpuebat quæcunque eidem offerebantur, perpetuo ſeſe jactabat, & vociferabatur, tendines ſaliebant.

Mane 27mo furioſo delirio manente, & pulſibus creberrimis humilibuſque, veſicatoria duo ad internas tibias applicabantur. Circa meridiem ſymptomata plurimum levabantur, mitius delirabat, & abſque furoribus diem exegit. Exacerbationes ſolitis horis non recrudeſcebant. Nocte ſudore univerſali, & calido perfuſa, placide dormivit.

Sequente mane 28vo quietius quidem habebat, ſed obſcure adhuc deſipiebat. Pectoris anguſtia, languore univerſali, levibuſque tremoribus corripiebatur, & ſudoribus multis perfundebatur, linguæ major humiditas, pulſus molles, languidi, urina vero multum tincta, nullum ſedimentum deponens. In virium languentium ſubſidium chinæ decoctum, adjecto ſpiritu Mindereri, adhibui. Noctu pluſculum deliravit inter exiguos ſudores.

Die 29no Aug. eadem manebant ſymptomata, indeque, ut perſiſteret in uſu corticis peruviani, juſſi.

Die 30mo Aug. per intervalla delirabat. Præcordia dolebant, atque contenſa erant. Alvus per aliquot dies conſtipata a propinatis pulviſculis e rheo movebatur. Nocte placide peracta.

Die 31. Aug. Tuſſis pertinax, pauca tantum ſputa egeruntur. Exhibebatur ſulphur antimonii auratum & oximel ſquilliticum. Urinam etiam copioſam cum laudabili hypoſtaſi innatanti reddidit. Sequenti mane a delirio, tuſſi, dolore, reliquiſque ſymptomatibus plane liberatam inveni, & repetitionem corticis ter quaterve in die ad ſeptimanam mandavi.

Ad huoc uſque diem optima utitur valetudine, niſi quod ex aëris mutatione levem ſaepius capitis dolorem patiatur.

HISTORIA II.

VIrgo quædam annos 24 nata, menſibus paulo copioſius purgari ſolita, poſt moerorem longum terroremque multum ſub initium Octobris 1782 febricitare incipiens, de gravi capitis dolore conquerebatur. Alimentum omne

faſtidio ei fuit, & ſomnolentia identidem premebatur. Tendinum ſubſultibus aliquoties inter dormiendum, nec non levi delirio nonnunquam tentabatur; laborabat etiam dyſpnoea & praecordiorum anxietate, de ambulatione quamvis leniſſima palpitabat cor.

Haec fere a ſex diebus invaluerant ſymptomata.

Sed die nono Octobris media nocte intenſo corripitur delirio. Appetente aurora adveniens, horrendum in modum deliram, inquiete e loco in locum ſe jactantem, faſtidioſam, ſponte vomentem deprehendi aegrotam: aliquando præter morem hilarior evadebat, atque ridebat. Non multum tamen febricitabat, pulſum enim protinus exploravi admodum debilem, celerem & interdum inæqualem. Lingua non admodum ſicca, ſed humida, ſubalbida; alvus clauſa, cutis uda, levibus ſudoribus perfuſa.

Enema imperavi, & vomitorium ex tartari emetici granis tribus, & aquae fontanae unciis quatuor cochleatim omni quadrante horæ ſumendum, donec vomitus ſequatur. Ter vomuit, & ſemel dejecit. Noctem inter furores tranſegit.

Die 11mo Octobr. plurimum febricitavit.

Pulſus citati, fortiores, & pleniores heſterno die. Peiparum ſanguinis, quem poſtridie & colore & conſiſtentia ſanorum quam ſimillimum inveni, detrahendum, & duo poſt venæ ſectionem veſicatoria ad ſuras ponenda curavi.

Nocte inter tremores, & muſculorum faciei contractiones per aliquot horas dormivit.

Die 12 Octobr. mitius delirabat, urina, quam toto decubitus tempore nondum inſpexeram, pallida. Pulſus debilis & celer. Propinata ſunt remedia ex camphora & ſpiritu Mindereri. Noctem inter deliria & largam diaphoreſin exegit.

Die 13tio Octobr. continuat diaphoreſis; cætera ut pridie. A meridie vero ſubito totum corpus, comitante delirio furioſo, convellitur. Veſicans ad nucham, & pulveres e moſcho & camphora confecti, adhibebantur. Subſequenti nocte perpetuo delirabat abſque convulſionibus. In eodem fere ſtatu manſit nunc mitius nunc intenſius delirans ægra ad 16tum. Tunc cepit ubique ſudoribus copioſis perfundi cutis, parum aut nihil amplius alieni locuta eſt, placide dormivit, & integre convaluit. *uu*)

Ani-

uu) „ Convulſio in febre ſuborta, febrem primo die, aut poſtero aut tertio finit. “ in Coac. praenot. n. 137.

Animo meo penitus tunc inſederat adhuc opinio omnem phrenitidem in cerebri vel membranarum illud involventium inflammatione, ſive hoc primario vel ſecundario affectum ſit, conſiſtere, donec magnorum virorum auctoritas, qui aliunde eam arceſſebant, & oblata occaſio ex natura rei petita hanc cogitationem aut prorſus negligendam, aut ſaltem addubitandam, docuit.

Lubenter concedo, ex binis, quæ obſervavi exemplis, non ad omnes concludendum eſſe phrenitides, & varias phrenitidis eſſe poſſe cauſas, ſicuti compluribus cl. Stoll comprobavit exemplis. *vv*)

In utroque vero caſu nulla cerebri & meningum inflammationis, nulla ſordium circa præcordia collectarum, ſimiliſve materiæ indicia erant, & quaecunque prodibant ſymptomata (quanquam phænomenorum rationes ſcrutari, quod neminem latet, haud facile ſit) hujus modi erant, ut a nulla alia ſcaturigine, quam a nimia nervoſi generis ſenſibilitate petenda eſſent, ita ut inde concludi poſſit, dari etiam phrenitides, quæ unice a nervoſo ſyſtemate

---

vv) L. c. Tom. 3. p. 147. de ſede & cauſa phrenitidis.

pendere videantur, ubi, licet attentiſſima obſervatione, nihil quod proximæ cauſæ vice fungatur, detegi poſſit in corpore.

Prædiſponens cauſa in noſtris ægrotis, etſi quæ excitarunt hanc cauſam, non patebant, neminem latebit, qui, quantam animi affectus nervis inducere valeant mutationem, conſideraverit. A mœrore phrenitidem natam notavit celeberrimus Boheravius, quam in Vidua nobili cl. præceptorem vidiſſe narrat cl. ejus commentator, imo ad credendum ſum inclinatus, hanc ipſam phrenitidem, quam refert cl. van Swieten ab omni inflammatione alienam, & nervoſam (venia ſit verbo) potius fuiſſe; quum paulo ante dicit: „ quandoque ſubito in nervum erumpit diu ſuppreſſus mœror, licet nulla alia cauſa acceſſerit. Vidit hoc in Vidua celeb. Boerhav. &c. " Imo meminit phrenitidis idem cl. de Swieten.: „ quam Hippocrates in Dealcis uxore ex mœrore vidit. *ww*) "

Initio leviter deſipiebant, *xx*) inopinato ferocire incipiebant. In prima ægrota delirium

---

ww) L. c. Tom. 2. p. 585.

xx) Hinc „ in phreniticis omnia circa initia ſedate & moderate ſe habere " ab HIPPOCRATE dictum eſt. Vid. eius Coac. praenot. n. 92.

ferox, perpetuum non erat, ſub veſperam enim ſemper recrudeſcebat, noctu graviſſimum erat, mane remittebat, donec quarto a furoris exordio die ſedabatur. Non tamen ideo a morbo prorſus liberata erat, ſed ſupererat adhuc delirium, præcordiorum dolores, aliaque ſymptomata, donec largiore bonae urinae copia febris plane tollebatur.

Alteram per ſeptimanam ferox delirium afficiebat, non ſemper tamen illa ferocia aderat, & aliquando nullis certis ac ſtatis horis alligata remiſſior erat, donec una cum morbo omnia ſymptomata per aequales & copioſiores ſudores evaneſcebant.

Corollaria ex hiſtoriis praecedentibus derivata.

Febris maligna & nervoſa, cum in utrisque febribus nervoſum ſyſtema ob vitium aliquod ipſi inhærens idiopathice afficitur, quo facile a reliquis febribus, quae ſedem ibi non habent, ubi nervi modo ſymptomatice afficiuntur, & a ſanguinis corruptioue, ſive abundantia, vel primarum viarum vitiis aliisve proximam ducunt originem, ſejungitur, cum in hac nulla perſpicua cauſa percipitur, unus idemque morbus eſt.

N 2

In curatione hujus febris ob defectum plenariæ cognitionis proximæ ejus cauſæ, rationalis therapia vix quidem proſtat; curationis tamen cardo in eo potiſſimum verſari debet, ut curationis ſciagraphia per indicationes reddatur, obſervando naturæ molimina, perſcrutando & cognoſcendo ægrotantium virium, & imbecillitatis æſtimationem; ita ut nunc perſpiratio, datis leniſſimis diapnoicis, æquabilis conſervetur, nunc ſpaſmi antiſpaſmodicis mitigentur, nunc vires veſicantibus, camphora, *yy*) aliiſque erigantur.

Damnanda vero, qua iteratis venæ ſectionibus, emeticis purgantibuſque exanimes curantur ægroti, methodus.

Nec minus dubito, rationalem medicum ex commendatis ſpecificis remediis multum ſolatii capturum eſſe, quæ jactantur enim de potu Caffe, febre nervoſa laborantibus propi-

---

yy) Cl. HOME in eius Cliniſche Verſuche &c. p. 38. camphorae uſum in nervoſis febribus non modo perſtringit, verum etiam reprobat, cui tamen, reclamitante experientia, aſſentire non poſſum. Id tamen dictum eſſe velim binis aegrotis, qui phrenitide laborabant, & in quibus ſumma nervorum fuit ſenſibilitas, ſummo fuiſſe hocce remedium adiumento. Quaeritur itaque, utrum potius in exceſſu ſenſibilitatis, an in torpore & languore medicina ſit ſalutaris?

nando, vetularum magis, quam medicorum fidem mereri videntur. zz)

Corticis peruviani uſum præter indicantia, & abſque neceſſaria cautione adhibere ſemper timui; & cum definitum plenarie adhuc non ſit in his febribus, ſub quibus indiciis cortex ſit ſalutaris, vel noxius, minime laudanda videtur ejus adminiſtratio, quando morbifica materia nondum ſufficienter ſit ſoluta, quando reſpiratio difficilis, lingua valde ſicca, rigor, & ſymptomata nervoſa valde urgere videntur, ſputa e pectore educenda, neque minus ſub ipſa febris exacerbatione.

Quoad opium in febribus nervoſis, etſi a multis laudari in hac febre video, a) & ad nimiam ſenſibilitatem, & deliria ſedanda, & vigilias arcendas nil utilius convenire videtur, libenter tamen, niſi diarrhoea nimis profuſa incidit, abſtineo, quum non raro, quod optimorum practicorum obſervatione ſatis conſtat, in quibus ægrotantium conſtitutionibus (inſtitutis licet evacuationibus neceſſariis) vigilias, corporis jactationes, atque inquietudi-

---

zz) Conf. cl. JEITTELS obſervat. med. p. 27.

a) HOME l. c. p. 60. & CAMPBELLS Beobachtungen über den Typhus.

nes adauget, & ſoporis ſtatum producere valet. Præterea nervos debilitat, & coctionis, criſeoſque negotium, teſte cl. Tralleſio, perturbat, quando ita aſſerit: „ Criſis eſt evacuatio cocti non aſſimilandi, fitque per ſputum, per vomitum, per diarrhoeam, per urinam, per ſudorem; ſed opium ſupprimit omnes excretiones, excepto ſudore, atque obſervationes practicæ abundant infauſtis exemplis ſalubrium illarum excretionum, quæ criticæ futuræ erant, quomodocunque ſuppreſſarum, irreparabili ægrotorum damno, quare merito de opio eas vere inſita ſua vi ſupprimente dicitur, quod turbet, & inhibeat criſes in damna ægrotantium. *b*) "

Veſicatoria emplaſtra optimos præſtant effectus, nec vituperanda ſunt emetica morbi initio.

Victus ratio debet eſſe exquiſita, non ita tamen ut in aliis febribus, neque antiphlogiſtica, nec minus acida e foſſilibus educta, quum vim nerveam & irritabilitatem minuunt, vitanda; ſed regimen paulo calidius obſervandum, & vini aliquid identidem permitti poteſt.

Interdum febris nervoſa cum putridis,

---

b) De uſu opii ſect. 11. §. 12. p. 97.

Digitized by Google

gaſtricis, aliiſque complicatur, unde difficilis morbi diagnoſis, & diſſenſus medentium in definienda febrium malignitate, & diverſa in curatione artis adminicula, ſiquidem conjuncta talis conditio, ad quam mentem non ſatis intenderunt, plerumque morbi initio leniora poſtulat evacuantia, quæ alias facillime nociva eſſe poſſunt, derivanda videntur.

Quoad decurſum & ſymptomata, maxime gradu differunt ejuſmodi febres, ita ut nunc lentæ & mitiſſimæ ſint cum fugitivis deliriis, & parcioribus ſyſtematis nervoſi perturbationibus, nunc graviores nervorum affectus, ut motus convulſivi, tendinum ſubſultus, aliaque animadvertantur, & interdum furioſa deliria, aliaque, quæ maximam nervorum ſenſibilitatem demonſtrant, & ſummum malignæ febris gradum conſtituunt, obſervantur.

Sudor modicus, æquabilis, ſalutaris eſt, immodicus, quoniam ſine coctionis ſubſidio profluit, nullum levamentum præſtat, copioſus vero, quum reliqua ſigna quoque votis reſpondent, diebus criticis optimæ notæ eſt.

Urina turbata, parumque ſecedens, nullum certum & abſolutum coctionis ſignum, & materiæ morboſæ evacuationis exhibet, ubi febris, vigiliæ, aliaque ſymptomata majori

vel minori gradu pergunt, non deſperandum autem recrudeſcentibus ſymptomatibus cum deliriis & convulſionibus.

Nulli ſigno ſolo redeuntis valetudinis fidendum.

Nulla morbi ſolutio fit per hæmorrhagiam, ſive per alvi fluxum.

Salivatio non modo in febri ſimplici nervoſa, ſed etiam complicata utplurimum ſalutaris eſt.

Pulſus raro plenus, ſive durus obſervatur, ſed plerumque inæqualis, parvus aut intermittens tangitur, mollis vero atque æqualis poſt criticam aliquam evacuationem, ſive imperfecta vel perfecta hæc ſit.

Tuſſis & difficilis deglutitio non ab inflammata aliqua pulmonum, ſive faucium parte, ſed ob impeditam reſpirationem, & faucium contractionem a nervorum ſpaſmodicis affectionibus exoritur.

Nec minus præcordiorum anxietates, dolores, reſpiratio difficilis ſigna certa ſunt alienæ circa præcordia hærentis materiæ, ſed teſtantur potius de nervorum perturbata functione.

Surditas in hac febre pro nervorum affectione habenda, quæ neque alvi profluvio, aliave excretione ſiſtitur.

Nunquam parotidum tumores in his febribus vidi.

Interdum latente tam proegumena, quam procatarctica cauſa febris producitur. (Hiſtor. III. pag. 134.)

Incertum morbi tempus eſt, in longum vero excurrens cum minori ſymptomatum vehementia, quam in principio, & denuo exacerbans, ut plurimum ſolvitur.

Quam lene etiam primum morbi ſtadium decurrit, de morbo leviori aut graviori non teſtatur, de repente enim in atrocius quandoque diſcrimen adduci obſervavi.

Periculoſæ metaſtaſes ſunt, quæ ad pulmones fiunt, & mors expectanda, quando nulla ſputi fit ejectio.

Aphtarum ad fauces depoſitiones non ſemper gaſtricæ ſunt originis, neque minus gangræna, aut petechiæ (deficientibus reliquis putredinis ſignis) ab humorum putredine producuntur.

Mors in pleriſque placida, alii cum anxietate, & ſtertoroſa reſpiratione, ſpiritum effundunt.

Digitized by Google

FRID. CHRISTOPH. OETINGER
PROF. MED. TUBINGENSIS
DISSERT.
DE LAPSU PALPEBRÆ SUPERIORIS.
TUBINGÆ MDCCLXXI.

§. I.

CUM haud raro in Praxi obveniant palpebrarum pendularum diverſiſſimæ Species, & ſemper miratus ſim, huncce tam momentoſum affectum, a plurimis Auctoribus obiter tantum, vel plane non tactum fuiſſe, ut forte aliquando ſub ſpeciebus paralyſeos particularis, ſubinde ſub expoſitione morborum oculorum in ophthalmiatorum libris occurrat, & quod magis dolendum, una ſaltem vel altera Species hic illic in Auctoribus practicis annotata inveniatur, & ubi invenitur, unius alteriuſve Speciei hiſtoria, illa inter mirabiles, rariſſimos, deſperatos, incurabiles caſus numerata fuerit, ut id in Epiſt. & Conſil. *Timæi a* GULDENKLEE p. 452. ſeqq. & ibi collectis Conſiliis celeberrimorum ejus temporis Medicorum RIVERII, SANCHII, MICHAELIS, *Jacobi Mart. a* BERENGA, ROLLFINCII, RHO-

DII, aliiſque innumeris Auctoribus videre eſt; cum porro ſi feliciorem me fore putabam in evolutione librorum chirurgicorum, in paucis aliquid invenerim, & in his tantum recenſitas diverſiſſimas methodos, malo per operationem chirurgicam medendi, prætereaque nihil; cum ne quidem nomen conſtans proprium & technicum ab Auctoribus receptum & determinatum eſſe cognoverim, & hic nominet paralyſin palpebræ, quod alter difficultatem aperiendi, vel conniventem palpebram, vel nimiam ejus laxitatem, vel & prolapſum, lapſum, ptoſin palpebræ, vel elevationis P. S. abolitionem, vel caliginem a blepharoptoſi, atonian ton blepharon &c.; cum ex iiſdem libris intellexerim, quia ſpecies non ſatis adcurate inter ſe comparaſſe & per ſigna ſua diſtinxiſſe videntur, inter Auctores ad noſtra uſque tempora tam differentes eſſe de cauſſa mali opiniones, ut v. g. cel. *Job. Zacb.* PLATNERUS in Chir. rat. inſtitutionibus, lapſum vel a reſolutione muſculi, vel vulnere levatorem tranſverſim diſſecante deducat, quem celeb. BOERHAVE in tract. de morb. oculor. p. 11. non ex paralyſi, ſed a ſola fibrarum laxitate oriri, dixerat; cum denique ne ullam unquam diſſertationem de hoc affectu palpebrarum ſu-

periorum conſcriptam viderim vel invenerim citatam: conſtitui, hancce lacunam practicam in edenda hac Diſſertatione de Lapſu P. S. explere, ut practici juniores habeant, de quo ulterius cogitent, opuſculum in praxi ſua porro perficiendum. Latere me quidem nullatenus potuit, a cel. SENNERTO in Med. pract. p. 1. lib. III. ſect. 2. cap. 10 excitari VALESCUM DE TARANTA, quem integrum tractatum de Difficultate claudendi & aperiendi palpebras ex ſiccitate, ſcilicet conglutinatione ſcripſiſſe perhibet, ſed quanquam occaſio hunc tractatum mihi comparandi nunquam comparuerit, ejus exiſtentia, de qua nullus dubito, me quidem in edenda hac diſſertatione morari non potuit, cum ex SENNERTI Doctrina ſatis cognoſcere potuerim, illum plura non continere, quam quæ breviſſime docuit ipſe cl. SENNERTUS, quatenus ſcilicet hic ex Auctore illo multo vetuſtiore haurire potuiſſet, debuiſſet.

§. II. Lapſus palpebræ eſt præternaturalis palpebræ ſuperioris relaxatio & inertia, qua functiones ejus plurimæ plus minus impediuntur & inde viſus, oculo ceteroquin ſano, præcluditur.

§. III. Functiones palpebræ ſuperioris ſunt,

oculum a) tegere, b) defendere, c) aperire, d) continuis nictibus corneam abſtergere, e) punctum lachrymale in commodo ſitu retinere, ut abſorberi poſſint lachrymæ, f) liquidum oleoſum, a glandulis Meibomii ſebaceis ſecretum, lachrymas coercens, in limbo eorum æqualiter inunctum tenere, g) ſecretionem lachrymarum juvare, nictibus glandulam lachrymalem ſæpius concutientibus, h) cilia movere ad extranea illapſura avertenda, & radios lucis vel nimios vel fortiores temperandos.

§. IV. Cum itaque omnes functiones palpebræ fiant ope ejus motus, neceſſe erit, ut eruamus cauſſam motus palpebræ, quæ quidem facillime definitur ex principiis phyſiologicis, docentibus, omnem motum animalem perfici actione muſculorum, qui vix non ubique ſupponit actorem & antagoniſtam, & pendet præcipue viribus vitæ, per nervum in muſculo diſtributum, & per influxum arterioſum, communicatis.

§. V. Sed quivis facile intelliget generaliſſima hæc principia non ſufficere ad hunc palpebræ ſuperioris morbum pro diverſa ſua origine cognoſcendum; neceſſario potius requiri ſpecialiorem ſtructuræ, compoſitionis & nexus palpebræ ſuperioris deſcriptionem anatomicam.

Digitized by Google

§. VI. Ex diverſis ſcilicet palpebra ſuperior compoſita eſt partibus. Baſin nempe conſtituit arcus cartilagineus, quem anatomici tarſum adpellant, & in cujus parte inferiore diſpoſitæ ſunt, atque in ſulcis quaſi tuentur glandulæ ſebaceæ Meibomianæ, quorum ductuli excretorii in limbo palpebræ terminantur. Super hunc arcum expanſa eſt lata, tenuis, celluloſitate quadam accreta, aponevroſis muſculi levatoris palpebræ, qui oritur in fundo orbitæ, ad oram ſuperiorem foraminis optici, tenui & tendineo principio incipiens, inde ſuper muſculum attollentem oculi ſenſim lateſcens, carneis fibris antrorſum progreditur, & in dictam aponevroſin terminatur, cujus ope tarſe nectitur. Super hanc productio quædam perioſtii orbitæ, a WINSLOVIO ligamentum tarſæum adpellata, in laxam cellulоſam telam terminata, decurrit. Huic denique incumbit ſtratum fibrarum, tranſverſo & curvato tractu diſtinctum, pars ſcilicet muſculi orbicularis. Omnes has recenſitas partes extus tegit cutis continuata, tenuior tamen facta, quæ in margine extremo craſſeſcens, & pro ciliorum & vaſculorum excretoriorum glandularum Meibomii ſuſtentaculo, calloſa quaſi facta, iterum tenereſcit, & ſe contra ſe ipſam revolvens,

ſumme extenuata, nomine quidem mutato, internam quoque concavam palpebræ ſuperficiem invertit. Hæc hac vice ſufficere nobis poſſe pro ſcopo noſtro putem, cum de reliquo integrum cuique fuerit, minutias ex perfectiſſima illa oculi & partium ad illum ſpectantium anatomica deſcriptione celeb. ZINNII, ſupplere.

§. VII. Ex hac ſtructura palpebræ ſuperioris deſcripta patet, motum duplicem ejus pendere a muſculis duobus, diverſa ſtructura & ſitu antagoniſmum prodentibus, quo mechanica lege levator aperit, orbicularis claudit oculum.

§. VIII. Cum autem omnis muſculus componatur ex fibris diverſæ naturæ, & ad omnem muſculum accedat nervus & arteria, cujus allatum ſanguinem revehat vena, & hæ quoque partes in muſculis palpebræ & anatomice demonſtrari poſſint, & quæ anatomice proſequi non poſſumus, ex principiis phyſiologicis ſupponi debeant, poſſint, facile intelligitur, actionem muſculi, levatoris palpebræ ſuperioris lædi, vel vitio fibræ, vel vitio nervi in ſuo ortu, aut progreſſu, vel vitio influxus arterioſi.

§. IX. Fibra cujuſvis naturæ ſana, integra, continuo ſe contrahendi niſu prædita eſt.

Digitized by Google

Hic niſus vitalis, ſive pendeat a vi vitali, fibræ inſita, ſive a vi vitali per nervum, aut per influxum arterioſum allata, in ſtatu ſanitatis certum renitentiæ, ſed determinatum quoque obſequii gradum habet, cujus utriuſque æquilibrio definitur ſtatus ſanitatis illius niſus vitalis.

§. X. Læſa itaque ex quacunque cauſſa renitentia illa vitali, fibræ *perit* omnis actio, uti fibræ ita & muſculi. Deficiente vero ex quacunque cauſſa obſequio antagoniſtæ, *impeditur* ſaltem actio muſculi actoris, & vice verſa. Fluit inde relaxationem præternaturalem, & inertiam palpebræ ſuperioris, qua functiones ejus plurimæ impediuntur, quam lapſum palpebræ ſuperioris nominamus, maxime pendere a muſculi levatoris renitentia vitali læſa, & reliquas omnes clauſi vel ſemiclauſi oculi ſpecies, quæ a ſpaſmo, convulſiones antagoniſtæ a concretione vel agglutinatione palpebrarum oriuntur, minime pertinere ad ſpecies lapſus palpebræ, ſed diverſi generis morbos eſſe.

§. XI. Oritur autem quæſtio, an omnis lapſus palpebræ ſuperioris a ſola vi vitali muſculi levatoris perdita vel læſa oriatur? Annon ipſa integumenta communia palpebræ relaxata, diſciſſa, vel & relaxatio ligamenti tarſæi pro-

ducere poſſint lapſum palpebræ ſuperioris. Opinor, omnibus ſponte patere, integumenta communia & ligamentum tarſæum nihil ad motum conferre, poſſe quidem has partes impedire & gravari motum, actioni levatoris reſiſtentiam opponendo, ſed minime auferre poſſe omnem motum.

§. XII. Huc pertinet omnino opinionis veterum expoſitio. PARÆUS ſcilicet aperiendi & claudendi palpebras vim tribuit muſculo lato ab ipſo fuſius deſcripto, *Op. Chirurg. L. V. cap. 3. pag.* 140, *ſeq.*, & hanc opinionem tueri conatur ea experientia, qua, eodem teſte tranſverſim diſciſſum ſupercilium, quatenus ſimul latus hic muſculus vulnerari ab ipſo creditur, niſi omnis cura in conſolidatione vulneris adhibeatur, poſt ſe relinquat lapſum P. S. Agnoſcit ille in publicis demonſtrationibus & elevatorium & orbicularem P. S. muſculum ſolemniter demonſtrari, & omnium, qui de re anatomica ſcripſere, ſententiam eſſe, ab his aperiri & claudi oculum, attamen arbitratur, ne ipſis quidem demonſtratoribus de his muſculis magis conſtare quam ſibi ipſi.

§. XIII. Cum ſententiæ PARÆI valorem ex veterum obſervationibus & experientiis dijudicare vellem, ſimul etiam, a quibus, &

quando hæc controverſia deciſa, & vera motus P. S. theoria ſtabilita fuerit, ſcire optarem, in manus mihi veniebant SCHENKII obſervationes medicæ 1654. in fol. Lugd. impr., in quibus pag. 154. obſer. II. aſſeritur, GALENUM atque VESALIUM, muſculum palpebram elevantem a fronte prodire, ſtatuiſſe. Ideo ſtatim evolvi GALENI opera & cognovi, relationem illam mendacem eſſe, GALENUS enim lib. X. de uſu partium C. H. edit. in fol. Baſileæ 1533. p. *96.* contradicit potius illis, qui putarunt, a ſupercilio explantatos muſculos implantari toti tarſo palpebræ, contradicit porro illis, pag. *69.*, qui ex duobus muſculis a medio tarſi ad internum & externum angulum oculi procedentibus & ibi affixis elevationem palpebræ deduxerunt, & denique ita concludit: *Nunc mihi hoc ſolum dicere ſufficit, eo ſcilicet ſapientiæ artem naturæ procedere, ut tota hæc non inveniatur, licet tanto jam tempore quæſita, idque a viris tam illuſtribus.*

§. XIV. His itaque plane concidit auctoritas illa mendax, in GALENI honorem injuria, quivis potius perluſtrando cognoſcet, ſucceſſores medicos non deterritos fuiſſe a deſperatione Galeni, & totum artificium naturæ circa motum P. S. ita explanaſſe, ut nullo

modo opus ſit, amplius dubitare de theoria motus palpebrarum per elevatorem & orbicularem exercendi; veritas autem experientiæ, cum negari non poſſit, dubium illud a chirurgicis operationibus petitum, omnino explicandum erit. Id autem commode fieri putem, ſi ſecundum veritatem aſſumam, muſculos dictos motum quidem directe producere, ſed ut ſuperius jam monuimus, alias dari conditiones, actiones muſculorum vel juvantes vel impedientes, & inter has numerandum eſſe nexum P. S. Nexum ſcilicet palpebræ ope integumentorum cum fronte, ponderis palpebræ partem ſuſtinere, diſſoluto per vulnus nexu, gravari palpebram & pondus increſcere, ut vires muſculi non ſufficere amplius poſſint ponderi levando, ſed oriri poſſit ſpecies lapſus P. S. ſpurii; quæ ratio eo magis valet, quia ipſe PARÆUS confitetur, cauſſam lapſus P. S., ex vulnere tali ſupercilii, non tam a vulneris inflicti vehementia, quam Chirurgi imperitia, pendere. PARÆI Op. Chir. L. IX. cap. 23. pag. 299.

§. XV. Conſtat etiam ex ſtructura palpebræ inferioris veritas, quod elevator elevet, quia inferior palpebra non habet niſi orbicularem cum ſuperiore palpebra communem, nullum depreſſorem, quia pondus ſolum ſatis de-

primit, hinc juſte concluditur, elevatorem ſuperiori ideo datum eſſe palpebræ, quia neceſſe habuit elevari. Debuimus omnino hujus dubii gravitatem expendere, cum in eo totius curationis cardo vertatur, nam aſſumptis aliis motus P. S. cauſſis, multa ſe in ratiociniis & medicationibus, in modo applicandi externa mutarent, & non recte determinata motus cauſſa, ſtabilis, & certa curandi ratio exponi non poſſet.

§. XVI. Sed miſſis his, putaverim potius obſervationes practicas facile decidere dubium, circa motus deficientis, impediti, cauſſas. Occurrunt ſcilicet caſus, ubi omnis motus ſpontaneus palpebræ perit, & illa plenaria inertia movendi, & aperiendi palpebram ſuperiorem, ſiſtit lapſum perfectum P. S.; occurrunt vero & caſus, ubi motus ſpontaneus aliqualis & diverſi gradus ſupereſt, & palpebræ ſaltem labuntur invito & inattento ægro, viribus collectis, palpebram aperire valente.

§. XVII. Duplici modo autem hi caſus differunt, aut palpebra ſanæ ſimillima eſt colore, mole, aut eſt pallida, plicata, & facile videre eſt, integumenta ſola relaxata, vel nexum integumentorum diſſolutum vulnere creare majus pondus, viribus levatoris palpebræ reni-

tens. Prior diverſitas ſine dubio a gradu reſolutionis muſculi differente pendet, & eo ſolo a perfecto lapſu differt, imperfectus lapſus ideoque dicenda; ſecunda diverſitas, quia plane diverſam habet cauſſam, ad lapſus palpebræ ſuperioris veri ſpecies non pertinet, ſed ſpurius potius lapſus P. S. adpellanda erit, idque eo magis, quia vix alibi, niſi ſpecie ſymptomatis Cachexiæ, vel Chloroſeos, vel vulneris ſuperciliorum occurrit.

§. XVIII. Superius poſita definitio itaque fuit generalis. Lapſus autem P. S. verus ille eſt, in quo motus voluntarius, & pro ejus defectu, functiones P. S. læduntur, *ex perdito robore* muſculi levatoris ipſius, nullo dolore, tumore, denſitate, aſperitate, ſcabritie, calloſitate, inflatione palpebræ præſente.

§. XIX. Cum autem robur ſuum muſculus levator P. S. perdere poſſit ex diverſis cauſſis, tot dari ſpecies lapſus P. S. veri definiendas, certum eſt. Eſt itaque lapſus P. S. verus primæ ſpeciei ille, in quo robur muſculi elevatoris *perditum eſt*, ex reſolutione & vitio muſculi paralytico. Cujus ſubſpecies ſunt, lapſus P. S. verus primæ ſpeciei, robore muſculi elevatoris ex vitio ipſius fibræ, e. g. frigore, deſtructæ, ut nullus influxus ſpirituum poſſibilis

ſit, *perdito* videlicet caſus, ubi, poſt frigus in itinere perpeſſum, ſubito muſculus reſolutus fuit, apud SENNERTUM Med. Pract. L. I. p. 3. Sect. 3. cap. 10. p. 772. Secundo lapſus P. S. verus primæ ſpeciei, robore muſculi elevatoris ex vitio nervi, (uti loqui conſueverunt auctores) reſoluti, obſtructi, *perdito*, idque a) vitio nervi in ſuo decurſu, vel b) vitio nervi in origine & ipſo forte ſyſtemate cerebroſo. Quorſum omnino omnes ſpecies referendæ, quæ ve antecedunt paralyſin, ut prodromus, vel ſequuntur illam, ut reliquiæ, vel etiam ex vitio temporario ſyſtematis nervoſi deducendæ ſunt. Tertio lapſus P. S. verus primæ ſpeciei, robore muſculi elevatoris, ex vitio influxus arterioſi, *perdito*, quam quidem pathologice poſſibilem ſubſpeciem agnoſco, nunquam vero vidi, nec relatam inveni huc pertinentem hiſtoriam.

§. XX. Lapſus verus ſecundæ ſpeciei eſt ille, in quo robur muſculi elevatoris P. S. *perditum eſt*, ex mechanica vi premente, extendente, emolliente, ſecante *antegreſſa* & *præterita*, debilitatem fibræ relinquente, cujus infinitæ dantur, ſecundum cauſſarum remotarum differentias diſponendæ, ſubſpecies.

§. XXI. Sed neque his omnes ſpecies de-

finitæ ſunt, cum diſtinctio in verum ſupponat oppoſitionem contrarii, ſcilicet ſpurii. Spurius itaque P. S. lapſus ille eſt, in quo motus voluntarius & pro ejus defectu functiones palpebræ læduntur, ex *deficiente* robore muſculi levatoris, & relative minore, quam ut ille *præſente vitio præternaturali* læſam (inflammatorie vel œdematice tumentem, cachectice pendulam, aſperitate, denſitate, ſcabritie, calloſitate & quomodocunque ex aucto pondere immobiliorem) palpebram, actione ceterum integra, & viribus ſuis naturalibus quoque illæſis, libere movere poſſit.

§. XXII. Hæc me ducunt ad aliam quæſtionem practicam; an ſcilicet lapſus P. S. verus, perfectus, imperfectus, ſemper ſit malum idiopathicum? an vero æque frequenter ſit ſymptoma? quam iterum per obſervationes decidere fas erit: licuit mihi in praxi lapſum tanquam idiopathicum malum & tanquam ſymtoma obſervare.

§. XXIII. Ut idiopathicum malum ſcilicet:

1. In ſenibus ut prodromum virium remittentium.

2. In ætate provectis literatis, ſæpius unum oculum acutius adſtringendo, alterum claudendo, legere & ſcribere conſuetis.

3. In diverſa ætate ex depreſſione conſuetudinali palpebræ, ubi forte pileo, vel etiam mitrula ſemper tranſverſim poſitis, palpebra alterutra fere continuo deprimebatur, ut ſenſim extenſio fibrarum levatoris, earumque inertia præternaturalis & permanens relinqueretur.

§. XXIV. Licuit porro ut idiopathicum quidem morbum, ſed ſecundarium obſervare.

1. Tanquam reſiduum malum, ex antecedente apoplectico vel paralytico inſultu.

2. Ut reſiduum malum poſt cephalæas & hemicranias rebelles, in paralytodeam debilitatem deſinentes.

3. Tanquam reſiduum malum ex oculorum quibuſcunque morbis, remediis externis, præſertim emollientibus, ſub continua deligatione oculi, curatis.

4. Ut reſiduum chronicum malum poſt inflammationes palpebræ, refrigerantibus tractatas.

5. Ex vulnere ſuperſtitem lapſum ego nunquam vidi, in auctoribus autem ſequentes caſus legi. a) SPIGELIUS ex levi vulnere ramuſculi tertiæ nervorum conjugationis, qui per foramen oſſis frontis, ſupra orbitam exculptum, elapſus in cutem & muſculos frontis deſinit, obſervavit prolapſam palpebram, eo, quod ſupercilii ſeu frontis muſculus propterea

in paralyſin incurreret. MAGNETT. Biblioth. Med. Tom. 3. pag. 551. b) ROLLFINCIUS conniventem palpebram dextram a præfecto in duello muſculo elevatorio, tanquam incurabilem relictam, deſcribit TIM. A GULDENKLEE l. c. pag. 461. c) PLATNERUS in Chir. Rat. Inſtitut. aſſumit ſpeciem lapſus a diſſectione elevatoris tranſverſim facta, ſed reſpondebimus infra. d) Tandem ex auctoritate & ſententia PARÆI vid. §. XIV. & H. FABRICII AB AQUAPENDENTE, *poſſibile eſt ex vulnere ſuperciliorum tranſverſim facto, niſi diligentius curetur remanere lapſum P. S.* Op. Chir. P. I. append. ad L. 2. pag. 191. Sed hæc ſpecies ad ſymptomaticas ideoque ſpurias pertinet, quamdiu vulnus non ſanatur, vulnere autem male curato, tanquam ſecundarius morbus demum huc pertinet.

§. XXV. Licuit denique duplicis generis, ſcilicet verum & ſpurium P. S. lapſum obſervare, ut ſymptoma diverſorum morborum; verum quidem, ut ſymptoma a) Apoplexiæ, b) paralyſeos, c) affectuum ſoporoſorum, d) diverſorum affectuum ſoporoſorum per periodos & paroxyſmos recurrentium, v. g. tertianæ ſoporoſæ, ſomnolentiæ alicujus, modo circa æquinoctia, modo quotidie poſt prandium,

veſperi ante vel poſt cœnam, recurrentis: quod ſymptoma debilitatis alicujus ſenilis & ſomnolentiæ præternaturalis cel. SAVVAGIUS ſingularem ſpeciem eſſe fingit, lapſum vel, ut græco nomine cum illo loquar, ptoſin in continuam vel intermittentem disjungens. Spurium, ut ſymptoma: a) Cachexiæ, b) Pacheablepharoſecs, quæ ſecundum SAVVAGIUM T. II. P. 2. pag. 253. eſt incraſſatio palpebræ, ex tuberculis, verrucis, & excreſcentiis, grandinibus, hordeolis, vel atheromatibus, limbo palpebræ adnatis, ſcilicet ut adcuratius rem declaremus, occurrit ut ſymptoma omnium illorum affectuum P. S., qui craſſitiem & pondus adaugent, ita ut vires levatoris ſuperentur a pondere, & impares ſint levandæ palpebræ: c) Oedematis palpebræ, quod a ſtatu cachectico longe diverſum eſt, & ſacculum, ſtagnante ſero, plenum format; ſolo pondere lapſus ſpurii ſpeciem producentem. d) Anaſarcæ ad ſummum gradum evectæ. e) Sugillationis palpebræ.

§. XXVI. Ex prolatis caſibus, quos in praxi ipſa obſervavi, nunc facile decidere nos poſſe quæſtionem §. XXII. propoſitam cenſeo; per experientiam enim certi nunc ſcimus, idiopathice ſæpius occurrere verum, perfectum, vel imperfectum, in quo ſemper cauſſa latet

in muſculi levatoris *vera debilitate*, & hinc ipſa palpebra, omnibus conditionibus, ſanæ eſt ſimillima, v. gr. colore, mole &c. in admodum paucis vero ſymptomatice: ſpurium vero, in quo *relative debilem* muſculum agnoſcimus, & palpebra ſanæ non eſt ſimilis, ſed colore, mole differt, ſemper & ubique occurrere ſymptomatice, ita ut omnis quidem ſpurius ſit ſymptomaticus, ſed non omnis ſymptomaticus ſit ſpurius.

§. XXVII. His prælibatis facile erit determinatu, quænam cujuſque ſpeciei ſit cauſſa proxima, & quarum cauſſarum remotarum diverſo congreſſu, oriatur malum, gradu & effectu tam differens: quibus cognitis, facilis erit via ad prognoſin rite formandam, & indicationes determinandas. Eſt ſcilicet in omni tam vero quam ſpurio lapſu, *debilitas* quædam *muſculi* elevatoris, in vero *vera*, in ſpurio *relativa*. Qui ulterius dubitat de veritate hujus afferti, ſcilicet debilitatem muſculi, non cutis relaxationem & totalem atoniam, veram cauſſam eſſe, ille expendat, velim, immediatum tranſitum lapſus in affectus apoplecticos, hemiplecticos, paralyticos, & horum in illum: conſideret, porro, ne quidem lapſus, ex tanta cutis relaxatione, quæ vitalium virium defectum ſupponeret, orti, curam per operationem chi-

rurgicam poſſibilem fore, cum in paralyſi tactis, vulnera inflicta vix inflammationem, & multo minus alterum neceſſarium requiſitum, ſuppurationem admittant, ideoque conſolidationem maxime reſpuant, cum tamen hæc in conſueta operatione, facile impetretur, ubi ſolus muſculus paralytice affectus eſt.

§. XXVIII. Vera illa debilitas musculi duplex eſt; altera pendet a viribus vitalibus muſculi *vere deficientibus*, & veram paralyticam muſculi reſolutionem, gradu poſſibili mire diversam, & miras varietates producentem ſupponit; altera vero pendet ab organico vitio fibrarum muſculi, extenſione & remiſſione, per *perenne* actionis muſculi *impedimentum* introducto, & conſuetudine *confirmato*. In ſpurio vero quanquam aperta ſit *debilitas* muſculi, qua impar eſt ſuperando oneri, illa tamen, cum vis vitalis & influxus nullo modo deficiant, ſed competens ſano muſculo vis vitalis illum animet, *reſpectiva* vel *relativa* debilitas eſt, quia naturale robur muſculi ſaltem ponderi, *quod removeri poteſt*, *arte*, ferendo non ſufficit.

§. XXIX. Quod itaque concernit veram illam levatoris debilitatem paralyticam, illa poteſt ad gradum plenariæ inertiæ accedere, & tunc palpebræ oritur lapſus verus, perfectus, in quo

totalis levandi palpebram impoſſibilitas exiſtit, & omnes functiones palpebræ, præter illam oculum claudendi, pereunt. Cum autem functiones palpebræ perditæ diverſas læſiones oculi ipſius poſt ſe trahant, vel (quod, ſi palpebra tota tanto reſolutionis paralyticæ gradu afficitur ſæpius contingit,) ipſe oculi bulbus & aliæ partes, v. g. caruncula lachymalis &c. ſimul reſolvantur, & modo ex eadem cauſſa proxima, paralytico vitio, modo per ſympathiam patiantur, non raro obſervatum eſt, tanti gradus verum & perfectum lapſum diverſos nonnunquam morbos oculi complicatos habuiſſe.

§. XXX. In priori caſu, ubi morbi oculi ex læſis functionibus palpebræ oriuntur, omnino reſolutio paralytica cauſſa proxima lapſus palpebræ eſt, ſed reſpectu morborum oculi complicatorum, ea ipſa reſolutio paralytica ad remotas referenda erit, quippe quæ ſua confert ſymbola, ad alias cauſſas proximas generandas. In poſteriori vero caſu, in quo & oculus & aliæ partes æque ac palpebra, ex reſolutione paralytica ſimultanea ſimul oriuntur, in illo omnes morbi ſimul coorti eandem omnino agnoſcunt cauſſam proximam. Vidi e. g. cum lapſu palpebræ conjunctam amavroſin, idque duplici & plane differenti modo, in altero caſu, ſa-

bitaneo modo & pari paſſu cum lapſu palpebræ orta erat amavroſis, aperte deducenda ex paralytica tam elevatoris, quam nervi optici, uno eodemque tempore & modo coorta reſolutione, in altero vero caſu, amavroſis poſt aliquod tempus & ſenſim, antea jam præſente perfecto lapſu palpebræ, tanquam conſequens viſus non exerciti, & influxus nervei ad alterum oculum directi irrepſit, hinc non eandem cauſſam proximam ſcilicet paralyticam reſolutionem ſubitaneam illam, & confirmatam, ſed ex defertione influxus, exſiccatione &c., vel & deſuetudine radiorum lucis tandem metuendam, adcuſare jure potui, debui.

§. XXXI. Verus denique lapſus palpebræ inde non fit ſpurius, quod gradu differt verus eſſe poteſt, ſed imperfectus; imperfectus ſcilicet innumeris gradibus diſcrepans, non totalis, ſed corneam tantum ad quartam, tertiam partem, ad duas tertias, tegens, aliqualem motum palpebræ, imo in nonnullis, apertionem oculi per momenta viribus collectis admittens, alterutram vel utramque palpebram afficiens &c. Omnes hæ diverſitates eandem quidem, cum vero, perfecto agnoſcunt cauſſam proximam, ſcilicet reſolutionem paralyticam, ſed eo gradu minorem, quo ipſe affectus mitior eſt.

§. XXXII. Altera autem ſpecies veri lapſus palpebræ, in qua ex extenſa fibra ſecuta relaxatio *chronica*, & *conſuetudinalis* debilitás palpebræ orta, conſtituit cauſſam proximam, in eo quidem cum prioribus ſpeciebus convenit, ut debilitas proprie ſit cauſſa proxima, ſed illa debilitas longe ex alio fonte cauſſarum procedens, itaque in ſe plane aliam ſpeciem debilitatis conſtituens, ideo diſtingui meretur, quia in omni ætate oriri, & ſua ſpecie diverſa, diverſam quoque prognoſin parit, methodumque medendi, pro diverſitate cauſſæ, multum alterat. Liceat hinc, ad evitandas logomachias, hanc debilitatis ſpeciem nominare debilitatem ex relaxatione vel extenſione mechanica. Quod pace *Viri Ill. Exper. atque celeb.* GAUBII, contra Inſtitut. pathologicarum pag. 400. §. 753. n. 3. millenis rationibus armatus, aſſerere debui, atque diſtinguere, cum verba illa, ambigue poſita, ab omnibus pathologis neganda ſint, ſi labem villorum muſcularium propriam ponat cauſſam paralyſeos, eatenus tantum admittenda, quatenus de cauſſa remota intelligenda fuerint.

§. XXXIII. Miraberis forte, ne tertiam ſpeciem ſecundum reſpectum diverſæ cauſſæ proximæ non facere illam ex vulnere & diſſe-

ctione partium connexarum, vel & ipſius elevatoris, cujus poſſibilitatem auctoritate Illuſt. GAUBII, (Inſtit. pathol. pag. 376.) & clar. PLATNERI (Inſtit. Chir. rational.) aſſerere poſſem: ſed quod eas hiſtorias concernit, quas annotatas invenimus a SPIGELIO, ROLFINCIO, FABR. ABAQUAP., PARÆO, vid. §. XXIV. 5. illæ omnes non ſatis adcurate deſcriptæ ſunt, ut ſecure ex illis poſſimus concludere, reliquæ etiam Chirurgorum veterum dubiæ aſſertiones nullius ſunt ponderis, & a PLEMPIO jam refutatæ, vid. BOHNII Merc. compitalit. pag. 515. ſeq. Et ſi omnia eſſent vera, uti nonnulla eſſe videntur, tamen hæc relata exempla nullam novam ſpeciem conſtituunt, ſed ad ſecundæ ſpeciei ſubſpecies referenda ſunt.

§. XXXIV. Quod autem ad illam (primo intuitu) ſpecioſam cauſſam proximam ex vulneratione ipſius elevatoris attinet, illam pro impoſſibili habeo, nec ullibi caſum invenire potui. Ille enim qui occurrit in DIEMERBROECKII obſerv. VI. nihil plane probat, quia auctor in annotatione tantum ſupponit diſciſſum levatorem & ſibi differte contradicit, primo ſcilicet ſtatuit præciſionem elevatoris, mox autem ex craſſa cicatrice deducit impedimen-

mentum actionis levatoris. Conſentit mecum HIERON. FABRIC. AB AQUAP., qui in Oper. Chir. Part. I. Append. Lib. II. in capite de vulneribus ſuperciliorum ita ſcribit: *Neque verendum eſt, ne efficientes orbicularem inciſionem, quæ æmulatur tranſverſam, offendatur muſculus, palpebram attollens, quoniam ille muſculus ignoratus ab antiquis anatomicis, conſiſtit intra orbitam oculi, ſub oſſibus, prope muſculos oculum moventes, neque offendi poteſt &c.*, & proxime in cap. de Vulneribus palpebræ, caput incipit his verbis: *Palpebrarum vulnera vel recta ſiunt vel tranſverſa, ſeu obliqua, & utraque incidunt tantummodo muſculum orbicularem &c.*

§. XXXV. Sed neque opus eſt auctoritate; ipſa ſtructura, ſitus & decurſus hujus muſculi quemlibet convincere poteſt. Securus ſcilicet latet muſculus levator intra orbitam, & ne quidem in clauſis oculis, alia ejus pars prodit extra orbitam, niſi tenuis ejus aponevroſis tarſo ſuperinducta & ſub orbiculari deliteſcens, oculo vero aperto, tota palpebra eſt retracta, ut ſolus margo promineat, hinc nonniſi forte in dormientibus, vel oculos claudentibus poſſibilis eſt læſio aponevroſeos muſculi levatoris; nec dormientes autem, nec clauſis oculis di-

gladiari conſueverunt heroes. Immo punctim inflicta, & intra orbitam penetrantia vulnera, facilius ipſum bulbum & ejus muſculos proprios lædere poterunt, quam diſſecare levatorem, quia ille ſequitur orbitæ concavum.

§. XXXVI. Tertia ideoque veri lapſus ſpecies, quatenus determinatur differentiis cauſſarum, ea eſt, quæ ex vera muſculi debilitate, ſed tranſitoria, oritur, & ut ſymptomatica occurrit, illa communem habet cauſſam proximam cum morbis paroxyzantibus, periodicis, quos comitatur, ſoporoſis, hinc non eſt, cur lectores moremur, cum præter ſcopum paginæ diſſertationis adaugerentur.

§. XXXVII. Spurium lapſum, quod concernit, illius cauſſa proxima ſemper & ubique eſt pondus palpebræ adauctum, ad eum gradum, ut naturalis vis motrix muſculi levatoris ponderi ferendo non ſufficiat.

§. XXXVIII. Ubi vero nunc nobis ad ſic dictas cauſſas remotas deveniendum eſt, ſcilicet prædiſponentes & occaſionales, vel ſtylo Gaubiano ſeminia & potentias nocentes, non habemus, quibus moremur potius in harum determinatione, quoad omnes illas ſpecies, quarum cauſſam proximam reſolutionem paralyticam poſuimus, brevibus nos expedire poſ-

ſumus: de illis ſcilicet valet omnino plurimorum auctorum ſententia, lapſum palpebræ ſuperioris, eſſe ſpeciem paralyſeos particularis, & inde facile remittimus lectorem, ad Theoriam paralyſeos, quæ in lapſu P. S. ex paralyſi levatoris, pro cujuſvis ſyſtemate, eadem eſſe poteſt, ideoque eaſdem, cum omni paralyſi, ponit cauſſas prædiſponentes atque occaſionales.

§. XXXIX. Secunda autem ſpecies, cujus cauſſam proximam merito diſtinximus, & in relaxatione mechanica poſuimus, diverſas etiam habet cauſſas prædiſponentes & occaſionales, ſcilicet fibiæ naturales conditiones, quarum reſpectu & extendi, relaxari, emolliri poteſt; his poſitis, accedente vi mechanica, diſtrahente, premente, in ſitu extenſionis fibram tenente, emolliente, naſcitur proxima ipſa extenſio, laxitas.

§. XL. Quod autem concernit cauſſas prædiſponentes & occaſionales, ſpurii lapſus ſpeciebus proprias, cum pondus auctum earum vera ſit cauſſa, prædiſponens erit, vis muſculi determinata, ad minimum illud palpebræ pondus levandum; occaſionalis: quicquid pondus hoc increſcere facit, vel id ipſum vere augendo, vel & mechanicorum adminiculorum defectum creando.

P 2

§. XLI. Fluunt ex his immediate ſequentes prognoſes; quo provectius eſt ſenium, quo longius malum duravit, quo major erat affectus apoplecticus, hemiplecticus, ex quo ſuperſtes remanſit, quo pluribus complicationibus, memoriæ debilitate, paralyſi linguæ, auditus gravitate, morbis bulbi oculi, viſu, ſi aperitur, duplicato, ſtipatus fuerit, lapſus verus, perfectus P. S. eo minor eſt ſpes reſtitutionis. In infantibus occurrens, inconſuetas plane ſupponit cauſſas occaſionales. Ex epilleticis, ſpaſmodicis inſultibus, cephalæis, hemicraniis reſidua, cauſſam veram ſupponit in ipſo ſyſtemate cerebroſo aut nerveo. Senſus formicationis, pruritus ſpem facit reſtitutionis. Ex apoplecticis, hemiplecticis, paralyticis morbis, qui ex anomaliis hæmorrhoidalibus orti fuerunt, ſuperſtes non ſanatur, niſi his excretionibus reſtitutis. Ex ſcorbutica paralyſi ſuperſtes, fomite ſcorbutico radicitus ſublato, neglectis etiam externis, ceſſaſſe compertum eſt. Symptomatica, morbis ex impreſſione cranii, vel extravaſatione ortis juncta, ſolvitur, quam primum cranium elevatur, vel extravaſatus ſanguis trepano removetur. Lapſus ex vulneribus reſidui fere ſemper incurabiles exiſtunt. Lapſus ex depreſſione unius oculi, ex deligatione & emollientium abuſu,

potius exercitio debilis oculi curatur, quam medicamentis. Lapſus imperfectus P. S., etiam fortior gradu, modo ſimplex ſit malum, non ita difficulter curatur, ut auctores plurimi putarunt. Lapſus P. S. ſymptomaticus, ſive verus ſit ſive ſpurius, curabilis eſt, quatenus affectus idiopathicus, cujus ſymptoma eſt, curabilis exiſtit.

§. XLII. Progredimur itaque ad curationem: de qua hiſtorice monere juvabit, omnes practicos maxime de ferendo auxilio ita deſperaſſe, ut curationem perfecti lapſus fere ſemper ad Chirurgos tranſmiſerint; ita MANGETT. L. c. *quibus* (ſcilicet remediis ſane perquam levibus) *ſi non tollatur malum, Chirurgia eſt opus.* Ita TIM. A GULDENKLEE L. c. pag. 452. *quo* (ſcilicet ſetaceo) *non proficiente, ad operationem chirurgicam, quam deſcribit* CELSUS *L. 7. cap. 7. tanquam ad extremum remedium confugiendum;* ita PALLAS in ſua Chirurg. *wiedrigenfalls man verbunden iſt die Operation vorzunehmen.*

§. XLIII. Chirurgi quidem maximam in diverſis methodis excogitandis operam navarunt, & in perficienda illa operatione multum deſudarunt, ſed curaturi illud, contrarium & fere pejus, ut mihi videtur, vitium, lagopthalmum,

quod CELSUS jam obſervavit L. 7. c. 8. introduxere, cum quidem oculos miſeri aperuerint, ſed ita, ut claudere illos in poſtremum nequiverint, vitio, quod viſum ſuſtulit, ablato, & hinc Medici nonnulli illam ne quidem tentandam eſſe judicarunt. Vid. D. J. ALLEN. in ſynopſi med. pract. c. 10. p. 83. append.

§. XLIV. Hæc opinio, lapſum P. S. perfectum, nulla alia arte, niſi operatione chirurgica, auferendum eſſe, a medicis fere omnibus fovebatur, uſque dum in Actis Moguntinis caſus eſſet communicatus, ægri, vi electrica reſtituti. Maximi momenti hiſtoria non potuit non medicis ſagacioribus præjudicium illud de inevitabili neceſſitate operationis chirurgicæ eripere, vel certe dubium reddere; hinc & meditatio ſuper hac re, me certe ſatis curioſum & induſtrium reddidit, in obſervando & vincendo hoc malo, qui ſcilicet quieſcere non potui, uſque dum veras hujus mali cauſſas per obſervatas ſpecies & diverſitates diſtinguere didiciſſem.

§. XLV. Sicuti ſcilicet jam in prioribus monui, vel cauſſam agnoſcit veram paralyticam reſolutionem, & pro gradu hujus efficit perfectam aut imperfectam, diverſis gradibus diſtinctam, alterutrius vel utriuſque palpebræ

paralyſin particularem; vel ſolam relaxationem viribus mechanicis, & conſuetudine inductam viribus vitæ muſculi integris ſupponit, & in ea veram ſuam cauſſam invenit; vel cauſſam tranſitoriam, ſyſtema cerebroſum vel nerveum ad tempus afficientem, uti in illo intermittente lapſu, habet: vel cauſſam proximam in pondere & reſiſtentia vi levatoris naturali non ſuperanda, ut in tumoribus œdematoſis atheromate, relaxatione cutis cachectica, habet, & ejuſmodi affectuum ſymptoma eſt, una cum morbo evaneſcens.

§. XLVI. Quoties itaque Practicus ſciverit, ſpecies has ſecundum cauſſarum diverſitatem bene diſtinguere per ſua ſigna, toties facillime cuivis ſpeciei competentes indicationes inveniet, atque judicioſe determinabit, & ſingulares curationis modificationes, quæ a varietatibus producuntur, ſanis ratiociniis facillime aſſequi poterit. Judicabit ſcilicet illam in ætate apoplectica, & ſignis reliquis apoplexiæ imminentis præſentibus, evenientem, eſſe præcurſorem inſtantis gravioris affectus, ideoque inquiret in cauſſas prædiſponentes & occaſionales, & ſecundum harum differentiam, omnia illa explebit ſua officia, quæ ipſi incumbunt, ut præpediatur gravior inſultus inertiæ;

ubi plethora vera vel ſpuria, vel motus congeſtorii, venam ſecabit, aut deplendi aut revellendi ſcopo; ſuccurret viribus remittentibus, analepticis nervinis, valeriana inprimis & cortice; deficientibus excretionibus naturalibus, eas reſtituet, inprimis reſtagnationum hæmorrhoidalium turbas, ubi forte latuerint, in ordinem reducet; & ſic præcavendo morbum timendum, ejus prodromum, ipſum ſcilicet lapſum P. S. ſimul curabit.

§. XLVII. In eo autem caſu, ubi tanquam morbus ſecundarius ex antegreſſa apoplexia, hemiplexia, cæphalæis & hemicraniis rebellibus, lapſus P. S. ortum duxit, quod ex antecedentibus & immediato nexu morbi primarii cum ſecundario, vel & ex aliis reſiduis inertiæ reliquiis, in diverſis partibus, facile colliget, tam ratione prognoſeos, quam curationis, omne id faciet, quod in paralyſi particulari, ab univerſali vel graviori morbo relicta, alias faciendum ipſi eſſet, ſcilicet minime ſolis externis gravem hunc affectum, & ab iiſdem cauſſis, ex quibus oritur paralyſis, pendens malum, oppugnari poſſe credet, potius priora interna, quæ potiorem affectum mitigarunt, per ſeptimanas continuabit, inprimis arnicam, valerianam, ſuccinata, reſpiciendo ſemper cauſſas remotas.

§. XLVIII. Nolo hic in paralyſeos cauſſas & curationem excurrere; id ſaltem moneo practicos, quorum experientiores tamen, in aliis paralyſeos particularis ſpeciebus, internorum continuationem perennem, neceſſariam eſſe agnoſcunt, tamen in hoc lapſu P. S. illam neglexiſſe, & potiſſimum hæc medicamenta interna negligendo peccaſſe, ita v. g. ETMULLERUS, celeberrimus alias practicus, nullius medicamenti interni mentionem fecit, & ſola externa enumerat. Op. omn. Tom. 2. p. 790. Miror omnino hanc incuriam, cum profecto nil certius in medicina cogitari poſſit, quam lapſum P. S. poſt affectus graviores apoplecticos, paralyticos reſiduum, eſſe paralyſin particularem; omnem paralyſin particularem præter externa, cuivis ſpeciei competentia, præcipue internorum continuationem, uti in ipſa paralyſi graviſſima, requirere, ergo & hanc regulam uti in omni, ita etiam in ea valere paralyſeos particularis ſpecie, quam vocamus lapſum P. S.

§. XLIX. Poſſet forte alicui dubium ſuccurrere, qui in *Timæi* a GULDENKLEE epiſtolis & conſiliis legit, quod interna adhibita fuerint, in tali paralyſi particulari *Ill. Viro de* HEYDENBRECHT viſum præcludente,

ſed hodierni Medici facile largientur, ibi farraginem medicamentorum internorum minime efficacium, ſine ordine & fundata indicatione adhibitorum, plus nocere debuiſſe, quam prodeſſe potuiſſe.

§. L. Secundam autem rationem, cur Medici hactenus infeliciores in curando lapſu P. S. fuerint, invenio in difficultatibus, quæ circa electionem & applicationem externorum remediorum occurrunt in omnibus lapſus P. S. ſpeciebus. Evidentiſſime enim ex ſtructura anatomica patet, medicamenta extus palpebræ illita, non facile penetrare poſſe, (niſi penetrantiſſima, v. g. ol. tart. fœtid., de quo nonnulli caſus exſtant, in quibus Auctorum laudes commeruit) quia, præter integumenta communia, ligamentum tarſæum, & muſculus orbicularis ſuper aponevroſin levatoris expanditur, quia ſecundo clauſo etiam in lapſu oculo, vix decima pars muſculi actionem illitorum remediorum admittit, cum, præter levatoris P. S. aponevroſin ſuper tarſum expanſam & ab orbiculari tectam fere omnis reliqua pars carnea in orbita deliteſeat abſcondita; Si tertio præter hæc forte ſupponas, aponevroſin, inſenſibilem, minus irritabilem eſſe, quomodo quæſo exſterne illita levatorem poterunt ſtimulare, robora-

re ? Nec quarto ſane unum extus illitum remedium ad originem nervorum, qui diſtribuuntur in levatorem P. S. propinquius poterit applicari, nec operari per proximas communicationes atque conſenſum.

§. LI. Didici ex his, quum interna palpebræ ſuperficies longe ſubtiliori productione cutis tecta ſit, & nihil, niſi tranſcurſus muſculi attollentis valde gracilis intercedat, facilius ad levatorem P. S. penetrare poſſe remedia, inſtar collyrii, in ipſam oculi orbitam applicata, quæ tamen meditatio a medicis antecesſoribus tam remota & neglecta fuit, ut dubitem, an illis cacchinnum moviſſet, qui in lapſu P. S. collyrium præſcripſiſſet. Sed ea eſt medicorum felicitas, ut tempus doceat, quæ per annos prætervisa fuerunt.

§. LII. Conducit itaque inprimis, Maſtiches, Ambræ, Succini pulvis impalpabilis in forma collyrii intra orbitam adplicatus; conducit porro liquamen myrrhæ, immo ipſe mercurius ruber præcipitatus; conducit pauxillum Caſtorei vel ejus axungia aliis prudenter mitigatum & disjunctum.

§. LIII. Alia autem, eaque graviſſima difficultas, quæ premit extus applicatorum uſum eſt, quod penetrantiſſimi illi ſpiritus, a quibus

forte auxilium ſperare poſſemus, mox ſub acceſſu aeris in auras effugiant, *deligatio oculi vero*, qua forte feliciorem effectum penetrantioribus ſtimulantibus poſſemus conciliare, in omnibus lapſus P. S. ſpeciebus *maxime noceat*.

§. LIV. Denique etiam vix unum alterumve remediorum externorum, quæ alias in paralyſibus particularibus facillime adplicari poſſunt, in lapſu P. S. locum invenit, vel ſimile ſubſtitui poteſt. Ita e. g. pars debilitata nec virgis cædi, nec unguenta acria rubefacientia ipſi adplicari poſſunt, neque locum inveniunt frictio, fumigationes, embrochæ, vulnuſcula, fonticuli ipſi parti læſæ inflicta atque inſerta, neque veſicatoria ipſi membro paralytico impoſita. Bene quidem ſcio, frictionem cum oleo aurant. curaſſ. commendari ab *Exper. D. D.* PALLAS in Chir. p. 125., ſed mihi perſuadeo, auxilium, ſi aliquod afferat, pendere ab oleo eſſentiali, nec comparari poſſe hanc frictionem cum frictione conſueta partium paralyticarum. Scio quoque eundem Exp. Auctorem æque ac Cel. PLATNERUM loc. cit., nec non Cel. MUZELIUM in obſerv. Medic. Chirurg. p. 94. commendare empl. ex canthar. magnitudini palpebræ accomodatum, ſed præterquam quod expertus ſim, illud vix ullum

adferre levamen, vidi incommoda maxima ab hoc remedii genere enata. Si enim veſicam etiam excitat, tegi alio emplaſtro vix poteſt, aer cruſtam ſane maxime moleſtam exſiccando inducit, humor acris in ipſos oculos defluit, & ophtalmiam excitare poteſt; omnium autem maximum incommodum illud eſt, quod veſicatorium, ſitum mutando, ipſum limbum imo & oculum graviter afficere poſſit. Ceterum memini quidem caſuum, in quibus fumos & embrocationes adplicatas fuiſſe, ſed, ob moleſtiam ſummam ipſi oculo creatam, conſilium cito citius mutandum fuiſſe, recordor.

§. LV. Habemus quidem eorum loco pauca adæquata ſtimulantia, inter quæ numero jam dictum ol. fœtid. tart. de quo caſus occurrit in E. N. C. Dec. 1. an. 4. & 5. obſer. CCX. ol. animal. Dippellii; ol. aurant. curaſſav. ab *Exc. D. D.* PALLAS laudatum. Sic quoque ſalia volatilia aliaque nervina volat. penetrantiora utiliter aqua calida miſcentur, & ſub ebullitione mixti, halitus per infundibulum (ollæ ita adaptatum ut inferior acuminata pars oculum reſpiciat) ad oculum dirigitur, halituſque hujus nervini, ſuccinati, caſtoreati, urinoſi, anthoſati admiſſio aliquoties per diem repetitur, atque urgetur eo uſque, donec lachry-

mæ eliciantur, id quod continuandum per ſeptimanas.

§. LVI. Inter potentiſſima autem externa merito numeratur electriſatio, de qua legi meretur caſus Actis Moguntinis inſertus Tom. 1. p. 286. Parvi quidem facit ejus vires *Exp. D. D.* PALLAS Chir. p. 125. Sed ejus ſententia mihi non videtur enata eſſe ab experientia contraria: Dantur enim caſus, in quibus inepte adplicaretur vis electrica; v. g. in lapſu P. S. ex vulnere, ex pondere, ex ſcorbuto, ex ſummo ſenio muſculo tendineſcente, ex cauſſa paralyſeos organica in ipſo cerebro latente &c. Sed in illa ſpecie, in qua ſupponi poteſt debilitas paralytica relicta, vel paralyſin ipſam minitans, curabilis, in ea omnino bene ſperandum de effectu vis electricæ: ſecundo inprimis inculcandam eſſe cenſeo illam cautelam, in omni medicina facienda, maxime neceſſariam; præmittenda eſſe generalia, antequam ad uſum ſpecialiorum remediorum progrediamur. Tertio etiam, ob rarius evenientes caſus, non tot adſunt experimenta rite inſtituta, ut inde ſatis certe contradicere poſſimus, multo certius id aſſeri poterit, multos vim electricam huc uſque adhibuiſſe, ſine judicio atque diſcrimine loci, in quo commode elici

poſſint ſcintillæ electricæ, ſine diſcrimine gradus, quod ſane ſemper debuit contingere, quoties per circumforaneos & vagantes æger ſibi voluit conſulere per vim electricam adhibitam. Mihi ſane quam plurimi tales auſus deridendi cogniti ſunt, ubi nihil profuere electrica illa experimenta, cum tamen proſtent obſervationes millenæ, a Viris celeberrimis, fide digniſſimis communicatæ, quæ vim electrici ſtimuli, quam exſerit in viribus vitalibus oppreſſis, omiſſis & ammiſſis reſuſcitandis & in excretionibus obſtructis reſerandis, clariſſime demonſtrant.

§. LVII. Brevitatis cauſſa provoco ad binos illos maximæ eruditionis & experientiæ Viros, Ill. DE HAEN, ejuſque rat. med. & Cel. SAUVAGIUM ejuſque non ſolum *diſſertationem de hemiplegia per electricitatem curanda*, ſed & Noſolog. Capita de paralyſi, hemiplegia, ubi toties non ſolum Auctoritate Ill. DE HAEN militat, ſed ſuam ipſius fidem inprimis adſtringit, & obſervationibus ſuis rem extra dubium ponit: ita v. g. ſub paraplegia rachialgica refert, Ill. DE HAEN electriſationem ſaltem cum modico ſucceſſu adhibuiſſe, ſe ipſum vero eximios effectus quondam vidiſſe apud militem ſimili morbo proſtratum. In theo-

ria capiti de hemiplegia præmiſſa, hæc habentur verba: *Repetita me docuit experientia, ſenſum & motum reſtitutum fuiſſe artubus electriſatis, qui a multis retro annis nullum ſenſus & motus indicium præbuerut.* Sub hemiplegia arthritica inquit: *Ea eſt potiſſimum ſpecies, quæ ſanatur uſu electricitatis, ut pluribus exemplis olim compertum habui, dum electricis experimentis incumbebam.* Sed cum dies diem adhuc doceat, nec tempus jamjam comparuerit, ut evidentius affirmare vel negare vel decidere poſſimus, ſatius erit alia magis opportuna occaſione de hac materia ex profeſſo agere.

§. LVIII. Id autem circa lapſus P. S. curam debeo monere; a) ante ſtimuli electrici adplicationem venam opportune ſecandam & primas vias purgandas eſſe; b) vi electrica totum corpus eſſe penetrandum; c) a gradu leviori ad majorem eſſe aſcendendum; d) denique excretionibus libere procedentibus, ſcintillas demum eſſe eliciendas; & quidem ubi vitium in propinquis hærere ſupponendum eſt, ex ſuperciliis, non ex palpebra, ubi vero hæmorrhoidum vel menſium obſtructio, ulceris vetuſti concretio inopinata, vel podagra retrograda, vel ſcabies infelicius repulſa, cauſſam remotam

con-

conſtituit, ibi ſcintillas ex partibus remotis ab oculo, & prope loca hæmorrhoidalia; vias uterinas, vel ex venis cruralibus menſtruo ordine educendas eſſe, in altero & tertio ſimilibusque caſibus, ex loco podagra vel ulcere olim obſeſſo, in ſcabie retropulſa ex omni peripheria, vel parte illa maxime olim adflicta educendas eſſe ſcintillas; e) continuationem plurium ſeptimanarum requiri ad malum vincendum; f) victo etiam morbo non ſtatim ab electricis ſtimulis adhibendis deſiſtendum eſſe; g) per totum curationis tempus nervina (interpoſitis, pro re nata, uterinis, hæmorrhoidalibus, menſtruis &c.) in & externa eſſe continuanda; h) quandoque feriandum eſſe per diem, ut primas vias, remediis laxantibus antiphlogiſticis, poſſimus repurgare.

§. LIX. Nec plane tacenda eſt illa, quanquam temporaria, attamen miranda, illius veſicatorii, conſilio RIVERII, crudeliori uſtioni ſyncipitis ſubſtituti, toti capiti deraſo inducti vehemens operatio, qua excitata ſtranguria *Tim. a* GULDENKLEE (*Epiſt. & conſil. p.* 455.) & mictu cruento, cito omnis ablata fuit paralyſis utriuſque palpebræ, ut ſponte & abſque manus adminiculo illas attollere potuerit. Quanquam enim per paucos ſaltem dies duraverit miraculoſa hujus morbi curatio, me-

retur tamen expendi, an fortior ſtimulus toti ſyſtemati cerebroſo impreſſus, an revulſio per enormem ſtranguriam vel mictum cruentum] facta, celerem iſtam mali per aliquos dies ceſſationem produxerit? Cum ſuppurationem vel ſeri effluxum non juvaſſe, ex eo aperte conſtet, quod euphoria illa ante veſicatoriorum exſiccationem jamjam ceſſavit, nemo effectum hunc revulſioni adſcribere poterit.

§. LX. Quod clarius adparebit, ſi ex conſiliis veterum docemur, revulſiones, etiam crudeles, vix unquam auxilium attuliſſe, quanquam ex theoria ficta, qua humores nervos obſtruentes & muſculos gravantes præcipue adcuſarunt, primario in illam indicationem inciderint, ut revellentibus crudelioribus adgrederentur affectum, conſilio, nunquam reſpondente effectu, excepto ſolo caſu, ubi ex ulceribus incaute ſanatis, vel ex achoribus improvide deſiccatis, talis effectus paralyticus partialis, ſequela immediata, ortum duxit, in eo veſicatoria plura, ad loca remotiora adplicata, repetita, vel & fonticuli aut ſetacea aliaque hujus generis revellentia omnino quadrant, & tunc ſatis certum afferre ſolent auxilium. Quod monere volui, ut, ſolo etiam hoc diſcrimine juſte expenſo, juniores practici inde diſcant, non id

eſſe docti & experientis Medici, ſed Empirici omnia periclitantis & minus ingenui Viri, omnia, quæ obiter ſciuntur, adhibere, & vulgo videri velle, nihil intactum ſe reliquiſſe, potius tum in eorum praxi cognoſci judicium, ſi conſilia eorum ſubſpeciebus, ex individui conditionibus natis, fuerint adæquata, & hoc reſpectu ſelecta, alias enim illud valet Palingenii in zodiaci Poetici Leone Judicium:

Heu mihi! pene omnes caſu non arte medentur.

§. LXI. Tandem, ut jam diximus, Chirurgi, omnem operam navarunt, in curando hoc malo per encheireſes chirurgicas. Hinc plane diverſæ methodi recenſentur & commendantur ab auctoribus, quorum quiſque ſuam ex adductis rationibus præfert. Nolo illas tranſcribere, ſed præcipua ſaltim enarrare CELSUS l. 7. c. 7. jamjam vetuſtiſſimam illam methodum recenſet, & quod omnino notandum: contra recentiorum aſſertum: *ſemper neceſſario operationem ſequi lagophthalmum*, ſollicite cautelas recenſet, quibus præcaveri poſſit triſtiſſimum illud operationis conſequens, lagophthalmus; ut paucis dicam, qui fuerit Celſi modus operandi, ille atramento limites ſectionis deſignat & ſingularem adhibere jubet curam, ne nimium cutis, nec nimis parum reſecetur.

Digitized by Google

§. LXII. Hanc CELSI methodum exacte ſequitur PARÆUS. Alii autem, qui abhorrent ab operatione, varia quæſiverunt effugia: ita RHODIUS in Lit. ad *Tim. a* GULDENKLEE p. 463. ſuadet, ut in malo deſperato, pittaciis opportune & placide adglutinatis, veluti habenulis, retineantur palpebræ. Hoc conſilium qui exſequi voluerit, longe maximas inveniet difficultates, nec mirum eſt, molitorem illum hac methodo a B. LENTILIO tractatum, ab ulteriore uſu abſtinuiſſe. Vid. E. N. C. D. III. A. III. append. p. 110. in parallelifmo ad obſ. D. 1. A. IV. & V. obſ. CCX.

§. LXIII. Alii itaque operationem omnino neceſſariam eſſe reputantes illam adbreviare voluerunt, & palpebræ vulnerationem crucis in modum faciendam propoſuerunt, uti ROLLFINCIUS in ſæpius cit. lit. ad *Tim. a* GULDENLKLEE pag. 461., qui ſimul *arduum hoc molitionis opus* ab ipſo etiam AQUAPEND. magni & difficultatis plenum æſtimatum atque inter obſoletas operationes relatum fuiſſe refert, cum tamen *Fabr. ab* AQUAP. Opera Chirurgica P. II. de chir. oper. p. 20. evolvens, nihil inveniam, de inciſura cruciatim facienda, ſed a CELSO jam deſcriptam operationem, de qua *Fabr. ab* AQUAP. judicat: *illam, præterquam quod perquam difficilis ſit, eſſe atrocem, cru-*

delem & tanquam obſoletam eſſe dimittendam, illam vero, quam ſtatim ex SCULTETO excitabimus, præ reliquis laudat.

§. LXIV. Hic ſcilicet in Armament. p. 44. & tab. XXXV. nro. 3. eo magis commendabilem & maxime præferendam proponit curandi methodum, quo certiores de effectu eſſe poſſumus, a Téſte oculato corroborato. Merentur verba ipſius integra huc inſeri. Fig. III (inquit) *Oſtendit, in dextro oculo, palpebræ ſuperioris relaxationem, & in ſiniſtro ejuſdem curationem: quam Hier. Fabr. ab* AQUAP. *crudeli & obſoletæ Celſi Chirurgiæ præferre, & ſequentibus verbis commendare videtur:* Ego au*tem, quando oculum ſuperior palpebra operit, pono unum glutinum* (ſeu *linteum glutino meo imbutum v gr. ſang. Drac. thur. ſarcocoll. Maſt. aa.* 3. *f. pulv. & cum ov. alb. agitato f. mixtura, inſtar mellis craſſa*) *cum duabus vel tribus habenis ſupra totam ſuperiorem palpebram; alterum vero ſimile priori linteo, quoad habenas, ſupra ſupercilium in frontem, tum ambas, vel omnes tres habenulas ſuperiores atractas inferioribus habenulis alligo.* Et *ita aperitur oculus, fit quoque, ut ſpatio temporis congruo, curetur palpebra relaxata, beneficio dicti glutinis adſtringentis & ſiccantis, & palpebram*

ac frontem contrahentis. Hæc curandi ratio optime ſuccedit, quia non tantum exſiccat, quod influxit, verum etiam novum humoris effluxum prohibet, quam expertus ſum, in nobili quadam fœmina, teſte Johann. Georgio BAULERO, *qui huic fidem adhibere noluit, donec ipſe effectum cum admiratione viderit.*

§. LXV. Sed quia ſine dubio talis curatio plures menſes requirit, deſeruerunt illiam hodierni Medici, ita ut ne HEISTERUS quidem ejus mentionem faciat, qui BARTISCHIANAM crudeliſſimam omnium ſollicite deſcribit, ut deinde illæ A PETRO ADRIANSONO propoſitæ & publicatæ meliorationes, & RAVII Leydenſis perfectiones eo facilius intelligi poſſint. Paucis illæ huc redeunt: BARTISCHIUS, germanus invenit inſtrumentum ex duobus brachiis conſtans, exacte oculi convexitati reſpondentibus, quæ mediantibus minoribus cochleis conſtricta, palpebræ ſuperfluam partem comprimebant, circulumque omnem humorum in partibus compreſſis prohibebant, donec emortuæ unacum inſtrumento ceciderint, a viva parte ſeparatæ. PETER ADRIANSON, Chirurgus Amſtelod. poſtea, ut præſcindantur prioris inſtrumenti periculoſa conſectaria, & dolorificæ curationis ſymptomata, id ipſum inſtrumentum mutavit & ita inſtruxit, ut con-

ſtrictis cochlearum ope brachiis pars illa ſuperflua compreſſa cultro chirurgico reſecari, & per foramina in brachiis artificioſe inſerta, ſutura conſueta filamentis ſericis adminiſtrari & vulnus deinde ſanari potuerit. Cui inſtrumenti & operationis permutationi RAVIUS Chir. Prof. Leydenſis adeo parvas addidit perfectiones, ut lis inde orta ſit, an non idem ſit inſtrumentum, cuive nominatorum Chirurgorum inventio adſcribenda. Vid. HEIST. Chir. pag. 479.

§. LXVI. Sed tranſeundum nobis eſt ad alteram ſpeciem lapſus P. S., quæ a mechanica vi externa, extendente, emolliente, relaxante, quorum ſubſpecies ſecundum differentes cauſſas externas recenſuimus §.XXIII. n. 2. 3. & §.XXIV. n. 3. 4. orta eſt. In hac enim, quanquam debilitas adſit, practicus quivis facile cognoſcet, hanc debilitatem non pendere a ſpirituum defectu vel influxus impedimento, vel alio in paralyſi ſupponi ſueto vitio, paucis, debilitatem illam non eſſe paralyticam, & inde convictus erit, ea interna paralytico vitio neceſſario opponenda, in hoc caſu plane eſſe ſuperflua, & quanquam externa ſtimulantia illa laudata etiam in hac ſpecie non nihil agant, tamen potius talia roborantia requiri, quæ ſunt ex adſtringentium claſſe.

§. LXVII. Hinc in recentiori malo, collyria intra orbitam oculi, mane & veſpere, *ſine omni*

deligatione palpebræ debili adplicata, ex tut., vitr. alb., lap.hæm. cum pulv. maſt. impalpabili omnino conducunt, immo & lotura palpebræ cum aq. calcis vivæ virium non plane expers eſt. Attamen omnibus aliis remediis palmam præripit deligatio oculi ſani, ut patiens coactus quaſi, debeat aperire oculum & quieſcentem muſculum levatorem P.S. contrahere, ut deſuetus influxus dirigatur ad oculum debilem; hæc ſane unica & vera medela eſt.

§. LXVIII. Dixi in recentiori malo: nam ubi inveteratum eſt, robur vitale non ſolum in palpebra debili, ſed & in ipſo oculo perditur, quia influxus vitalis ſenſim plane deſueſcit, & eo majori copia ad alterum continuo exercitatum oculum dirigitur. Hinc ſub ejuſmodi rerum conditionibus ſenſim ingruit impotentia paralytodea, quæ indicat potentiora in & externa nervina, reſolventia, roborantia in antecedentibus laudata, inter quæ ego Valerianam nunquam ſatis prædicare potero.

§. LXIX. Quod denique tertiam ſpeciem omneſque ſymptomaticas ideoque & ſpurium lapſum concernit, non opus eſt ſingulas ſubſpecies ſpeciatim percurrere: cum enim ſemper ſit ſymptomatica, ſufficit regula, ſublato morbo evaneſcit ſymptoma, quoties autem ſuperato morbo ſuperſtes remanſerit debilitas, illa morbum ſecundarium conſtituens, tractanda erit, prout vel primæ vel ſecundæ ſpeciei morbus fuerit.

FRID. AUG. MEYER
MED. DOCT.

DE
OZÆNA
COMMENTATIO.

HAMBURGI 1785.

Tamerſi morborum, quos impura Venus impertit, peculiare prorſus & ab alio quocunque ægritudinum fomite longe diverſum ſit virus, illud non impedit, quo minus ſociatam non ſolum & intime conjunctam ipſi ſæpius variam arthriticam, ſcrophuloſam, cancroſam aliamve cacochymiam, ſed ſubnatum quoque & quaſi progenitum alterum ex altero malum quandoque offendas; morbo tum utique inde manante & cognitu difficiliori & medelæ auſcultaturo ægrius. Quod poſterius præcipue, cum recentiorum quorundam haud vulgari obſervatione compertum ſit, (quippe in quo exquirendo, ut unum excitem, ingenioſus & peracutus b. *Biercben*, acer ejus rei inveſtigator, ſollerter imprimis & acute verſatus eſt) hic fortaſſis diri hujus generis morbi caſus, formoſam cæ-

teroquin virginem affligentis, non indignus commemoratu cenſebitur; qui ſcilicet, prætërquam quod his ipſis argumento ſit, ob gradum etiam & vaſtitatem mali, cujus imaginem non ſine horrore quodam etiamnum ad animum revoco ſingularem mihi attentionem movit.

Illud in primis monere intereſt, Ægram nullius probri compertem, inſontem latentis hic ſyphiliticæ labis fuiſſe; hæreditate (ut deinde dicetur) certo ipſi relictæ.

Ea, (*Haſeler* nomine) ætatis nuper vigeſimum primum annum expleta, ineunte æſtate 1771. febre acuta corripitur. Subſidet ab eo tempore menſtruum, quo ſuperiori anno primum exſolvebatur; tum etiam parciſſime reſpondens. Excipit febrem vagus ad jugulum & uvulam dolor; tumet abdomen, pedeſque. Hos ſenſim adoritur *nocturnus* dolor oſteocopus, ingraveſcens ita, ut ſomnum fere omnem diſcuteret. Jam uvula depaſcitur; rejiciuntur per nares potulenta.

Variis per ſex menſes incaſſum a Medico tentatis, novus arceſſitur; cujus auxiliis per trimeſtre ſpatium adhibitis, eo ſaltim uſque malum cedit, ut ſolitis negotiis vacare noſtra iterum poſſit; liberata penitus immani iſto crurum dolore. At neque catameniorum (in qui-

bus revocandis & uterque hic, & bini ſubſequentes Medici operam fruſtra ſemper collocarunt) uſquam veſtigia apparent; neque etiam obortis interea ad collum humerumque ſcrophuloſis tuberculis, maxime quidem circa jugulum diſſeminatis, medicinam ille adhibet; ſcilicet flocci pendens latentis hoc tyranni indicium.

His ſponte ſua per aliquot menſes apertis, foeculentum quidem melligenum fundentibus, partim Chirurgus externis remediis ſubvenit, partim internis novus Medicus. Ille inanes per integros quatuor annos curas impiger impendit, ſanandis exulceratis, aliis nunc coeuntibus, nunc recrudeſcentibus aliis. Hic primo hydrargirum ſubjungit; ad mentem Plenkii (quantum ex relatis ego perſpicio) ſubactum. Et cum graviter eo afficeretur Ægra, colicos ſcilicet dolores inſignes & cruentas ſedes continuo illinc paſſa, relicto hoc medicamento aqua calcis ſubſtituitur cum lacte, decocta lignorum, aliaque. Verum nec his quidquam proficitur. Deſiſtit ab opere Medicus diverſimode nonum in menſem commutato, omni via infructuoſo.

Ingraveſcit nunc malum. Tument nares cum dolore & rubore, ſpirituque fœtidiſſimo: adustorum oſſium — quorum bina paulo poſt

exeſa carie fruſtula ſeceſſerunt — argumento. Tum inciſo ad uſque oſſa ſiniſtræ naris cartilagine, nova eximuntur fruſtula: carie tamen, partiumque mollium exulceratione, tantum non obedientibus admotis pharmacis, ut ſiniſtra inſuper, fœdo ſanie ſcatens, gena maxima ex parte depaſceretur; (lato etiam turpique cicatrice adhuc deformis) interquæ hæc mirum in modum intumeſceret palpebra ejuſdem lateris, cui chirurgus ſcalpellum inferius admovet, tantiſper levamentum tenſis allaturus.

Jam annum Noſtra caruerat Medico, qui internis remediis viciſſim ſubveniendo (externis illis, ſive) chirurgicis, tantæ laticis virulentiæ proſpexiſſet, cum poſtremo famoſum quendam empiricum (honore academico frivole ornatum) acciri expoſcerent amicæque cognatæque. Hic præſertim ptyaliſmo excitato funditus malum excidere conatur, quem quidem, infricato mercuriali unguento commotum, per menſem paſſa eſt; at ſicuti anteceſſa cuncta, citra omne ægritudinis levamen; niſi quod peracutus dolor, qui caput hactenus, maximeque exulcerata loca infeſtabat, eo diſpelleretur. Paullo poſt ipſe etiam utriuſque oculi bulbus, atque primum ſiniſter, quam inſignis ille palpebræ tumor (ex phlegmone) etiam nunc fere recon-

dit, peſſime afficitur; turbato ſimul, qui labis adhucdum immunis fuerat, viſus ſenſu.

Ita quintum fere annum contumaciſſimo malo conflictatur, cujuſque & auxilii & ſpei ipſius inops Ægrota; cum menſe Januario 1776. ego advocor. Et profecto! non commovebar ſolum animo, ſed etiam toto quaſi corpore perhorreſcebam ad aſpectum infelicis puellæ. En miſerandæ conditionis faciem! Naſi locum, cujus, ſi apicem tenuemque narium limbum exceperis, veſtigium nullum ſupererat, ipſum illud horridum explebat ulcus; vaſtum, latebroſum, quod quidem, depaſtis tam mollibus naſi partibus, quam oſſeis omnibus atque genarum parte utrinque, ad frontem uſque expaſſum, hiatus ſpeciem repræſentabat, vel potius vorraginis informis, fœdiſſimi, a palati oſſibus ad cribroſum uſque, retroque ad fauces tam alte lateque patentis, ut ſpecillo ad explorandam cariem non opus eſſet, cum immiſſo digito nuda ubivis oſſa commode tangerentur. Os unguis ſiniſtræ orbitæ carie pereſum & ferme dilapſum, ita ut turundam a cantho oculi majori ad naſi ulcus penitus tranſmitteret. Pari modo & oſſa palati carie exaſperabantur, media quoque parte ad ipſum uſque internum os perforata; quo factum, ut ab impoſitis ulceri

medicamentis illico internæ oris partes afficerentur; & viciſſim commota in ore lingua ſordidæ elevarentur in fundo ulceris bullæ. Atque hæc obſcœna mali forma, eo triſtior erat, & ſpectatori injucundior, quod, primo execrabili fœtore nares feriret ſquallidum ulcus, & deinde ſi quando remotis ex ulcere turundis ceteroque faſciarum apparatu, loqui Miſera vellet, nil niſi cœcus vocum ſonus & illætabile murmur, velut ex alto ſpecu reſonans, non ſine faſtidio audiretur.

Quemadmodum vero, quod equidem mirabar, utrumque maxillæ ſuperioris antrum, ab Highmoro cognominatum, illæſum inter hæc atque inapertum deprehendebatur, ita contrario externa genarum, inprimis ſiniſtræ, facies, æque ac collum, & juguli maxime regio, partim ſinuoſis ulceribus ſcatebant, partim crebra cicatrice, veteris tanquam veſtigio plagæ, deturpabantur. Verum ſic defœdatæ faciei, quæ livido inſuper tumore tota inflabatur, inſignem præterea oculus ſiniſter deformitatem afferebat. Hic quippe tumefactis monſtruoſum in modum ac ſanguineo rubore quaſi flagrantibus & bulbo & palpebris, ad inſtar majoris globi carnoſi extuberans, horridum ſpectaculum præbebat, quotieſcunque informis hæc maſſa, vix ad dimi-

dium palpebris contegenda, ante orbitam muſculis ſuis circumageretur & ſub fronte quaſi oberraret. Lumen omne hic oculus jam ante tres menſes amiſerat, poſtquam cornea tranſparens penitus perturbata eſſet; cujus nunc quidem nec forma nec ſpecies ulla ſupererat. Non minus dexter oculus, eadem labe periturus, inſigniter obſcurabatur, tanta jam tectus caligine, ut propius etiam adſtantem viſu percipere vix & ne vix quidem Ægra poſſit. Accedebat quod lividus totam faciem occupans tumor oculum hunc vehementer coerceret, fermeque totum reconderet.

Hanc luctuoſam malorum congeriem ſuſoria febris comitabatur acutiſſima, immani prorſus ſudore humorum fontem noctu imprimis adeo exhauriens, ut extremum vitæ ſpiritum in complexu ſuorum edere aliquoties jam viſa Ægra fuiſſet. Alvus jam dudum ſegnior non niſi quinto quovis die, quin ſæpe octavo, reſpondebat, fæces tum quidem lapideæ duritiei non ſine vehementi niſu dimittens. Menſtruum vero, quod annos fere quinque continuos nunc cunctabatur; pertinaciter huc uſque & perpetuo (ſi forte a levi ipſius veſtigio receſſeris, quod ad ptyaliſmum aliquando comparuit, confeſtim refugo) artis quæque auxilia eluſit: ſicut e con-

trario nocturnus ille crurum dolor, qui ad mercurii infricationem ante conticuit, felicius eo compreſſus, planeque ſuperatus eſſe videbatur; penitus quippe ex eo tempore ſilens.

In tanta conſumati morbi ſævitie, cui debellandæ optimum quoque artis ſubſidium impar fore videbatur, vix aliud quidquam ac communis humanitatis ſenſus & ardentes Ægrotæ preces auxilium anxie implorantis, impedivit, quo minus funeſto ſuo deſolatam puellam fato committerem.

Cum multa eſſent, quæ deliteſcentis ad mali fontem venereæ labis ſuſpicionem injiciebant (cujus haud obſcura indicia in antecedentibus extare, mecum fortaſſis plerique ſubſentiant); acriter equidem Ægrotæ inſtabam, ut ſuſcepti contagii culpa ipſam ſe teneri profiteatur. At enim vero quantumcunque ſupplex illa manibuſque ſupinis opem ardenter imploraret, eandemque me ferre haud poſſe, ni verum ingenue fateatur, ſevere teſtaret, attamen ſancte adjuravit, ſe innocentem eſſe, & cujuſque ejus generis probri immunem: Atque hoc ipſum quod a fide minime abhorreat, omnium, qui penitus puellam noverant, teſtimoniis confirmatum. Interim hæc de concepta ſuper genio morbi ſententia me dejicere

vel ideo etiam non potuerunt, quod congenitæ potius labis ſuſpicionem phœnomena moverent, quam recens ſuſceptæ; utpote fœdatas miaſmate partes primum vaſtare ſolitæ. Patrem vero munere militari in ſuperiori bello contra Franco-Gallos functum, reſcivi.

Itaque ſpem ſalutis, ſi qua hic ſuperfuerit, in iis unice collocandam eſſe, quæ ignobilem iſtum mali fomitem protinus reſtinguant, cum manifeſtum videretur illico virium magni ſiphylidos domitoris, Mercurii puta ſublimati, periculum facere conſt tui. Præmiſſo igitur & iterato leniori alvum laxante, medicamentum illud eum in modum propinavi, ut a ſolutione *ſex granorum Mercurii ſublimati corroſivi in duodecim unciis ſpiritus frumenti a)* facta mane & veſperi *unum cochlear majus* aſſumeret Ægrota, totieſque ſuperbiberet *muſti* ſive *infuſi malthæ hordei Libram unam* ad ſequentem formulam parati: Rec. Malthæ hordei contuſæ Unc. ſex, eoque c. aq. font. menſ. una (unc. xxviij) per quadrant. hor. dein add. Rad. Glycyrrhiz drachm. duas, ſem. fœnic. ſcrup. quatuor: ſtent

a) Solutionem in aqua, quam minus tutam eo tempore cum aliis temere judicabam, jam dudum illi præfero.

in digeſtione per 4. hor. vaſe clauſo: Cola. His trigeſimo Januarii uti cœptis, quinto Febr. adjungo externum *phlegmatis vitrioli* uſum (quod præclare aliquando adverſus cancrum cum carie, ſe commendavit *Lentino b)*. Scilicet univerſum naſi ulcus linteo carpto, eo liquore madido, intus muniri circumundique curo, idemque remedium reliquis exulceratis partibus ſuperdari.

Quarta ſeptimana, quam hoc medicamentum quotidie appoſuerat Chirurgus, equidem demum comperi, ipſum illud enormiter concentratum hactenus a Pharmacopœo nos accepiſſe; ſiquidem unam partem ſpiritus vitrioli acidi, tribus modo aquæ partibus temperaverat; cum fere decem fontanæ, unicæ acidi parti admiſcere alias uſitatiſſimum ſit. Enimvero utcunque citra acutiſſimum ardoris ſenſum, ut facile credas, Noſtra non tulerit vehementiam medicamenti, quod intra nychthemerum lintea corroſit penitus, totamque faciem, quotieſcunque admoveretur, igneo calore quaſi accenſit; attamen fortiter dolorem excepit Miſera, taciteque paſſa eſt, idipſum forte rem po-

b) Obſ. Faſc. 1. O. 28.

ſcere ſibi perſuadens. Cognito errore, decenter omnino acorem remedii hebetavimus, mulcendo nimirum undecim aquæ partibus, acidi unam.

Interim mirum profecto, quantum univerſa ulceris facies habituſque inde a primis ſtatim diebus, quam acerbum illud auxilii genus adhibuiſſemus, mutati & in melius converſi ſint. Etenim triduo forte vel quatriduo interjecto ſordidiſſimum antea ac livens fundum ozænæ, purius multo, oræque vividiores apparebant; nec minus minora illa paſſim diſſeminata ulcera jam nunc conſaneſcere videbantur. Integrior etiam oculi dextri habitus & vegetior lux. Quin ipſe teter ille ulceris fœtor inſigniter imminutus atque dolor compreſſus omnino. Sic 10ma Februarii læta jam ſalutis ſpes affulſit ubique, nam & profuſiſſimi iſti ſudores una plurimum a vehementia remiſerant.

Cum inter ea gingivarum tumor dolorque imminentis ptyaliſmi ſuſpicionem injicerent, iſtius abigendi cauſſa decem pilulas, ſequentem in modum, (forte citra neceſſitatem ſeverum, præeunte quidem *Hænio* c) præſcriptas, ad quartam quam-

---

c) Quem (ſicut in ſimili caſu *Lentinus*) nimis ſollicite, tum hic, tum in præcepta ſolutione mercurii, ſequebar.

que auroram ingerendas obtuli: ℞. Extr. catholici ſcrup. j. Reſin. Jalap. Scammon. à ſcrup. β cum ſ. q. ſpiritus vin. f. pilul. N. XX. Fortius primo, deinde ſat placide, alvum ſolvebant. Neque vero durior antea, vel adſtricta alvus fuit, ſed bis quotidie, inde a primo quaſi mixturæ mercurialis hauſtu, reſpondit: quod ideo adjungendum, cum ipſius ſegnities, ut ſupra retuli, dudum eſſet pertinacior.

Læto auſpicio jam maturius ac ſperare licuit 26ta Februarii menſtrua comparuere, quintum in annum ſuppreſſa. Largius ac unquam per ſex dies his purgabatur Ægrota, ſibique melius eo factum haud ambigue ſenſit. Eo tempore ſæpius fruſtula oſſium carie confecta extrahebantur, aucto tantiſper ulceris fœtore.

Interim melior in dies rerum facies. Jam enim medio Martio tumor faciei omni ex parte compreſſus; conſanata colli ulcera, coalitique ſinus fiſtuloſi; ipſa ozæna, licet fœtoris non expers, blando tamen pure habituque laudabili conſpicua; oculus dexter ſaniſſimus, atque rurſum penitus inoffenſa ejus acies; quin ipſe ſiniſter ille, quem certius periturum, vel jam perditum eſſe putaveram, etiamnum accipere medelam videbatur; non enim naturalem ſolum formam & ſpeciem recuperare bulbus

ipſe, clariuſque diſtingui cornea cœpit, ſed extinctum etiam viſum præter omnem opinionem reſtauratum iri haud inani ſpe excitabamur, cum præterquam quod lucem noctemque jam amplius octiduo diſcerneret nunc (15ta Martii) exile etiam inſtrumentum propius huic oculo a Chirurgo forte admotum, licet obſcurius, dignoſceret illudque ſe viſu percipere læta exclamaret. Præterea hæc ſudores nocturni plane atque omnino nunc ceſſant: non æque, teſte celeriori pulſu, hectica febris.

Menſtruum proxima periodo ad horam quaſi reſpondet, profluitque octiduum copioſe. Eo finiente ſine mora ad pilularum uſum, quo abſtinere per 12 dies ob ipſum hunc fluxum oportuit, confugiendum erat; denuo quippe tumentibus dolentibuſque gingivis.

Quum ineunte menſe Aprili ſegnius procedere & fere ſubſiſtere ſanatio videretur, jam paulo confidentius propinandum eſſe Mercurium putavi, juſſique, ut *cochlear unum cum dimidio* præſcriptæ ſolutionis bis quotidie Ægrota aſſumeret. Nec dubitavi valentius acidum ſimul ulceri admovere, quia tardior exfoliatio quorundam partium oſſis palati quas caries aduſſit, conſopitum ferme fœtorem impenſe reſuſcitaverat; ideoque ſextupla dumtaxat aqua contemperari Vitrioli ſpiritum præcepi. R 3

Commode utrumque tulit Noſtra uſque donec tempus redierit, quo menſtruo exſolvi iterum debuiſſet. Hoc ipſum abſque evidenti cauſa hac vice reſtitit, etſi tepido pediluvio diligenter prolectatum: quumque ea gratia, ne fluxus impediretur, pilulis abſtinere per 12 fere dies iterum opportuerit, inde adeo luxuriari atque intumeſcere interni oris glandulæ, ipſæque fauces cœperunt, ut, nullo niſi fluidis ingeſtis ad gulam itinere relicto, dentiumque munimento omni relaxato & labante, animum deſponderet Noſtra, ſuiſque rebus pæne deſperaret. At enim exoſum hunc Medico juxta ac Ægroto Mercurii effectum ſubito hic iterum cohibuit planeque evertit pilularum vis, primum quotidie, dein alternis diebus exhibitarum.

Quandoquidem vero menſis ſpatio, quo liberalius Mercurio utebamur, parum profeciſſe mihi videbar, eo ſolo me opus vix perfecturum ſuſpicatus, Sarſaparillæ radicem adjunxi; memor obſervatorum *Fordycii*, qui pleroſque affectus venereos, vel Mercurio ipſo indomabiles, ea ſuperatos ſe vidiſſe, prætereaque certum eſſe, ſibique affatim compertum, memorat, neutro horum ſolo ſubinde vinci malum, conjuncta amborum virtute certius ſuperandum.

℞. Rad. Sarſapar. unc. iij. coque in aq. font. Menſ. iij (lib. vij) ad conſumt. dimidii, ſub finem add. Rad. Liquir. unc. β: Cola. A 6ta Maji dimidia hujus decocti Menſura quotidie abſumitur, & miſſo hordei muſto, unus alterque cyathus decocti Avenæ poſt quemlibet ſolutionis Mercur. hauſtum bibitur. Hiſce inde ab octava Junii ſuccos recentes *Cochleariæ*, & *Naſturtii aquatici* (deſpumatos) æquali ratione mixtos oportune ſubjungo, ad unc. v - vj horis antemeridianis paullatim capiendos. Tandem menſe Julio conſociatis horum medicamentorum viribus victas manus dare antiquus hoſtis videbatur. Poſtquam enim menſtruus ſanguis, tertium uſque plane atque omnino deficiens, primo hujus menſis decendio, licet tenui rivo, promanaverit, atque iterum & tertio majoris molis fruſta carioſorum oſſium imprimis palati, magnitudine dimidiam juglandem æquantium, ſeparata & exempta eſſent, (quo quidem facto obtuſus aliquis dolor, pridem in ulcere renatus, repente conquievit), mox reliqua febris diſcutitur, redit corporis vigor & priſtina alacritas, atque ipſum ulcus, cui hoc interim ſpatio ſubinde ſicca tantum deligatione Chirurgus proſpexerat, jam quacunque fœditate liberatum nova carne circumundique inveſtitur, tam læto

Digitized by Google

ſucceſſu, ut media Auguſti menſe nuſpiam amplius denudati oſſis veſtigium emicaret; tota cavi ſuperficie, oriſque, ex recenti amictu egregie rubentibus, & inducta paullo poſt cuticula, omni ex parte conſanatis, firmatiſque.

Propterea miſſo demum Mercurio &c., conſuetis tantum pilulis ſubinde ut jubeo: quod bis per hebdomadem, ſupra menſem adhuc, ſic ut ante, factum.

Atque nunc pulchre Noſtra valet; nec quidquam, niſi amiſſam venuſtatem & inuſtam partibus perennem turpis morbi notam conqueritur. Cæterum omnibus iis, quibus poſt longas ægritudines exhauſtum corpus roborare & integratam valetudinem confirmare alias conſuevimus, e penu pharmaceutico depromptis, commode caruit; ſiquidem bono cibo, quem inſatiata quaſi cupidine appetebat, citius fere ac tutius, & præterea jucundius reficeretur.

Sed refert demum, quæ fuerit poſt morbum Puellæ valetudo, atque partium prius affectarum forma habituſque, paucis adhoc commemorare. Et profecto! quanto felicius omnia procedebant, quæ ad valetudinem ipſam pertinent, — ſiquidem inoffenſa ſanitate, dum hæc

ſcribo, jam prope *Novennium* Noſtra vixit, rite etiam menſtruata: eo magis partium, quas ozæna devaſtavit, quemque miſereſcit aſpectus & manſura conditio. Primo enim *oculus ſiniſter*, quem priſtinam aciem recuperaturum eſſe haud inſipienter aliquando ſperabamus, & ſpecie & lumine labefactus, tantum non totus periit: præterquam enim quod vix quidpiam præter lucem noctemque diſcernat, ipſe etiam tumidus & decolor bulbus, ſupra inverſam palpebram inferiorem prominens, tantam deformitatem affert, ut aſſidue hunc oculum redimiculo obvelare pudenter malit. — Loco *naſi*, cujus reſiduum acumen vix efformandæ dextræ nari ſufficit, veteris patet ulceris cavum, amplum intus, ad faciem fere juglandis magnitudine expaſſum. Verum, quod pejus, *palatum* cum ipſo *oſſe* eadem latitudine adhucdum perforatum; ita ut deſuper intromiſſo digito, vel craſſiori etiam, commode tangi lingua poſſit. Quæ cum ita ſint, miſeram, quæ *uvula* inſuper omnino caret, nec veſci nec loqui ullo modo poſſe, niſi ante obturatus & firmiter munitus iſte palati hiatus fuerit, quiſque ultro capit. Eo conſilio ſpongiæ fruſtum, corio ſubtus veſtitum, foramini adaptare, eoque intruſo illud ipſum explere palatumque adeo

arte quaſi redintegrare, jam olim ſuaſor equidem fueram (cum id genus inventi, ſicut ſupra memoratum, in *Bekio* tam lepide proceſſiſſet); aſt hoc auxilium, ut ut belle perficeret inſtituta, alienum hic videbatur; eo, quod ſpongia, humiditate oris intumeſcens atque vulneris oras tum vehementer urgens, perpetuo dolore, tanquam a cuneo infixo, gravaret. Contra ea commodiſſimum adminiculum in linteo carpto ipſa invenit puella; globulum nempe ex eo confectum grandiorem firmiuſque compactum, convenientiſſimum obturatorem experta, omnium minime moleſtum. Atque tali nonſolum palati aperturam obſtruit, ſed priſtini quoque ulceris caveam pleriſque ſimilibus explet & quaſi confercit. Solet præterea externo vulneri emplaſtrum ſericum ſuperhabere; partim quidem decoris gratia, maxime vero ut ſpiritum coerceat, pro vocis, alias obſcurioris, firmitate. Et hujuſce apparatus beneficio, diligenter quidem renovati, & *veſci* percommode poteſt, & ſat clare *loqui*. — Cæterum, uti ammiſſum odoris ſenſum Noſtra luget; funditus utique extinctum; ita jure lætatur oculi dextri aciem perfecte ſibi reſtitutam & antiquo robore vigentem.

SIPHYLITICAM latentis cacochimiæ indolem tum initia morbi, ſymptomataque arguerunt, tum curatio ipſa palam oſtendit. — Scrophuloſi huic ſubnati, vel ipſi etiam antiquius nupti miaſmatis, haud obſcuro indicio colli glandulæ fuerunt, mox ab initio languoris extuberantes. *d*)

Veroſimillimum eſt, quod Bierchén *annotavit cacochymiam ſcrophuloſam admodum ſibi diſſimilem inveniri, prout reliquiæ venereæ affectionis latitantes, ſive arthriticæ & rheumaticæ, ſociæ illi fuerint. Unde apparet nonnunquam mercurialia magis ad curationem facere, nonnunquam antimonialia. e*)

Enimvero ſcrophuloſum virus ſobolem venerei & quandoque arthritici eſſe, generatione, vetuſtate, variaque medela temperati, non inepte fortaſſis hac noſtra ætate ſuſpicamur; quemadmodum herpetem, gonorrhœam, fluorem album ſcrophuloſæ viciſſim acrimoniæ prolem eſſe, peritiorum nonnullis jam nunc videtur vero eſſe propius. *f*)

---

d) Ricther *Anfangsgr. d. Wundarzneik* §. 694.

e) *Merk* Diſſ. de cur. ulc. difficiliorum &c.

f) *Bierchens* Abhandl. v. d. wahren Kennzeichen d. Krebsſchaden, wie auch d. Schroph. u. vener. Geſchwüre &c. *Selle* Handbuchd. Medicin. Prax. p. 205.

Animando congenito ſeminio venereo, mirifice pubertatis favere ſtadium, & ipſa quaſi fert rei natura, & diligentiore obſervatione paſſim edocemur. *g*) — Utplurimum cæteroquin connata impuri hujus morbi ſeminia maturius omnino emicare conſueverunt. Et maximam partem prima a partu ſeptimana id evenire, interdum vero multo tardius, & ſæpe octavo demum menſe, obſervata in Hoſpitio, quod Pariſiis nuper, curandis neonatis, ex inſita lue infirmis, inſtitutum eſt, docuerunt *Doubletum h*)

Sane quidem corporis quæque pars venereis ulceribus patet & tetra ſubinde temeratur ſanie; verumtamen proclivius ad genitalia, oriſque naſique cavitates turpis materiæ iter deprehenditur. *i*)

Sunt, qui Mercurii, in reſolvendis & deliquandis humoribus exſuperantem vim magnopere extimeſcant ab eodemque abhorreant

g) Cf. *Stoll.* Rat. med. P. 3. p. 473. ſq.
h) *Doublet* Mem. ſur les ſympt. & les traitement de la malad. vener. dans les enfans noveaux nés. Par. 1781. --- Quærit Autor ibidem, annon diutius aliquando impetum moretur & quaſi invelatum dormitet venereum virus; ſcrupholoſi poſtea vel alius generis ægritudines geniturum.
i) *Richter* lib. c. §. 576. 692.

plurimum quotieſcunque e venereo latente, vel intus ex ulcere abſorpto fomite, hectica febris exarſerit, immitem ſudorem excutiente. *Accidit aliquando, ut, cum ex magnis vel copioſis ulceribus venereis fœda ſanies ad interiora revehitur, & vitali immiſcetur latici, febris accendatur lenta cum ſudoribus colliquativis: Id ubi evenit, tutior ibis, ſi cortice & acidis mineralibus humorum ante mederis vitio, quam hydrargyro utaris, quod ipſum, prius, augendo fluidorum liquationem, peſſime noceret.* Ita fere, doctiſſimus, quem inter ſummos rerum chirurgicarum arbitros, quot nunc vivunt Germania principem jure veneratur, *Richterus k)*. Sed enim, annon ſaluberrimo mercurii, Noſtræ maturius & in ſumma febris hecticæ ſudorumque vehementia exhibiti, effectu, commonitum me putem, non nimium properari vel præfeſtinari in ejuſmodi rerum ſtatu prudentem præſentanei remedii uſum poſſe, quod ipſam ſpecifica ſua virtute extinguat, vel ſi (cum ſollertiſſimo *Noſio*) mavis, protinus educat infenſam acrimoniam, fluidorum vincula impetuoſe laxantem? Perperam profecto! adverſus *genui-*

---

k) Idem ib. §. 726.

Digitized by Google

num cancrum auxilium a mercurio petiveris *l*); opportunius contra feliciusſque, ubi ſiphyliticæ is fuerit proſapiæ, idem remedium adhibiturus. Ex quo quemadmodum haud temere quiſquam compoſuerit recentiorum quorundam ſuper mercurii in cancro efficacia diſſenſum & pugnantia obſervata; ſic univerſe illum non putaverim errore labi, qui omni conſimili in caſu primarium, ſeu ſpecificum, ut vocant, morbi fomitem curæ inprimis habuerit, eique illico extinguendo operam dederit confidenter, non moratus fallaci ſæpe & ſimulata indicationum pugna. *Eſſe ſpeciem hecticæ*, inquit ANDRE', *quæ a ſolo venereo oriatur, vel ex eo manifeſtum eſt, quod mercurio ſæpe ipſi hecticæ medeamur; quanquam alioqui bujus remedii ſtimulis corporis irritabilitas augeri atque itendi, eoque reliquis ſub hecticæ ſpeciebus cuncta exacerbari conſueverunt. m*) Eodem reſpectu mercurium inter antihectica recenſet *Trnka de Krzowicz*; tum propria, tum *Raulini* experientia ſuffultus. *n*)

---

l) Mercurium in occulto cancro, tumoris & incrementum & exulcerationem accelerare, idemque omnes præſtare aquas ſoterias, atque martialia, annotavit *Bierchén* l. c.

m) Abb. v. vener. Tripp &c. p. 191.

n) Hiſt. feb. hect. &c. P. 2. C. 4.

Quam inter uſitatiora mercurii præparata in perſanandis *ulceribus venereis* palmam ferre, ex aliorum quoque obſervatione videtur, *ſublimatus corroſivus*, eam & hic ille obtinuit haud ambigue. Neque enim Plenkii præparatum, nec ipſa protractior ſalivatio, ope frictionum excitata, veluti ſupra relatum, ad ſanandam ozænam, reprimendamque cariem quidquam profuerunt. — Sic ipſa detentos tetra lue, bis ſalivationem fruſtra paſſos, mercurio ſublimato liberatos refert *a Swieten* (in vulgatiſſima epiſt. ad *Hundertmark*.)

Minus tuto conſilio & nonnumquam doloſo cum effectu *externe* ſimul mercurium ſuperhaberi ulceribus venereis, gravis autor & monitor eſt *Rictberus*; propterea quod fallaci ſanationis imagine facile imponat medenti; quem lubricum in caſum *interne aſſumtus* neminem adducat unquam. Eo namque curatus, percuratus certe eſt. — Exulent pariter quæcunque dolorem afferunt, parteſque urunt. Convenientiſſima eſſe, quæ leniunt & mitigant, poſtmodum edoctus, omnino dolui errorem in parando phlegmate vitrioli hic admiſſum.

Emmenagoga mercurii, imprimis ſublimati corroſivi, virtus (pluries quidem, dum

liberius eo utimur, annotata, tum mihi comperta aliunde) quo magis hoc pertinaciſſimæ menſtrui ſuppreſſionis exemplo comprobari videtur, eo minus ſane quempiam animi anguſti & parvi eſſe dixerim, qui præpotentem hanc medicinam iis, quibus hæmorrhagia incidit, vel menſes fluunt, vel denique partus appropinquat adhibere cum *Morenbemio*, *Swietenio*, aliiſque dubitaverit.

Raro alias viſum recuperant, quos doloſa Venus excœcavit *o*). His enim ipſa plerumque oculi fabrica ab inflammatione & virulento pure diſturbata & funditus everſa deprehenditur.

---

o) *André* l. c. p. 197.

Digitized by Google

LEBR. FRID. BENIAMIN. LENTINI

DISSERTATIO

DE APHTHIS. (*)

Regia Societas Medicorum Pariſienſis, cum ſequentem quaeſtionem elaborandam, praemioque condecorandam anno 1787 promulgaverit:

Rechercher, quelles ſont les cauſes de la maladie aphtheuſe, connu ſous les noms de MUGUET, MILLET, BLANCHET, *à la quelle les enfans ſont ſujets, ſortout lorſqu' ils ſont reunis dans les Hoſpitaux, depuis le premier, juſqu' au troiſieme mois de leur naiſſance; quelle en eſt la nature? & quel doit en être le traitement, ſoit preſervatif, ſoit curatif?*

Me interprete, illuſtris haec ſocietas, haud dubie magis ad ea experimenta adſpira-

(*) Deſumpta ex Celeb. Viri BEYTRAEGE zur ausübenden Arzneywiſſenſchaft. Lipſ. 1789. pag. 240.

vit, quae, pro eruendis cauſſis, & adſtruenda methodo, ſive prophylactica, ſive curativa, *proprio marte capta, & comprobata* eſſent, quam ad ea, quae dudum iam publicata, & per medicorum ſcripta diu iam cognita fuerunt.

Quid enim huiuſmodi conamen eſſet aliud, quam maris alveo aquae guttulas adſpergere. Viris tanta celebritate & eruditione conſpicuis, ſermone in longum tracto, abunde cognita, iterum recoquere, aut ut *Celſus* aliquo loco dicit: rebus vetuſtis novitatem dare.

Si enim generatim ad artis incrementa reſpiciam, ea ſane minus a profunda eruditione, quam abs rerum praeſentium, & ut nunc ſunt, accuratiore indagine capienda eſſe autumo. Omnium enim ſublunarium rerum ſuprema lex eſt: mutatio. Morborum nimirum, ſive epidemiorum, ſive ſporadicorum trames, mutationes ſubire debuit, quas humanum genus abs mutato vitae & morum genere, ultro in ſe ſuſcepit. Hae ſanitati, hinc etiam morbis quibuſdam, novum quaſi impreſſerunt characterem.

Porro palpabilis erat urgens ſocietatis neceſſitas, nova & praeſtantiora adminicula, praemiis ſponſione oblatis, acquirendi; dum hactenus uſitata pro avertendo vel ſanando malo ſufficere haud perſpicerent.

Cum itaque, eadem neceſſitate olim iam preſſus, a ſolito diſcedere coactus fuerim, atque per varia pericula ſtabilem tandem invenerim methodum; eandem, ea ſub conditione, cum illuſtri ſocietate communicavi, ut antequam de praeſtantia meae methodi iudicarent, eam ipſam in paidocomiis per experimenta tentarent. Cum autem me plane lateat an? & quomodo? id factum ſit, nec in litteris, ab perilluſtri D. VICQ D'AZYR ad me miſſis, huius rei mentio facta ſit, commentationem eadem ſub forma, ea intentione in noſtris borealibus regionibus divulgare volui, ut heic locorum, ubi larga, experimenta circa hunc morbum capiendi, proſtat occaſio, iiſdem ſemel iterumque conſtans methodus aphthis Neonatorum medendi, per medicorum ſuffragia ſtabiliatur.

Ne autem, ob minus optatum forſan eventum, qui, quoties applicatio remediorum ſolis mulierculis concreditur, in declivi haeret, citra omnem meam culpam reus inveniar; medicos commonefacio, ut ſibi caveant, ne inexauſta anicularum fraudulentia, qua omne conſilium, ſacrae conſuetudini adverſum, eludere ſatagunt, in experiundo decipiantur.

Scrib. Luneburgi Menſ. Decembr.
MDCCLXXXVII.

Venienti occurrite morbo !

Cum Aphthae infirmitatum quaſi prima ſit, quae tantum non omnes puſiones, ſtatim adeo ab introitu in humanam ſocietatem, infeſtat, atque non contemnendum eorum numerum e medio rapit; ea ſane quaeſtio, quae penitiorem huius morbi cognitionem, aptiorem prophylaxin, ſimul atque ſtabiliorem curationem attinet, curae tot illuſtrium capitum digniſſima, & publicae utilitati proxima eſt.

Quid me igitur, per triginta annos aegrorum lectulos frequentantem, uſus docuit, non Veſtrae diiudicationi ſolum, ſed tentaminibus etiam in noſocomiis, publice inſtituendis, omni, qua polleo, ingenuitate ſubmittere, per publicatam a Vobis quaeſtionem ſum allectus. Accipiatis itaque, ea, qua ſoletis benevolentia, quae hiſce pagellis de Aphtharum *natura*, *ſymptomatibus*, *prophylaxi* & *curatione*, reſpectu ad noſocomia habito, continentur.

Ante quam autem *de Aphtharum natura* ago, ea praemittam, quae me multoties repe-

rita experientia, de cauſſis ad hunc morbum praediſponentibus docuit.

Uterque generatim ſexus, naturalibus, aut mercede conductis enutritus uberibus, quolibet anni tempore huic morbo eſt obnoxius; magis tamen ii puſionum, qui in manifeſta ſorditie aëris, corporis, velamentorum, ſtragulorum, atque parentum aerumna, vitae primitias agunt. His omnibus Aphthae, pauciſſimis exceptis, ſunt communes.

Minus contra, qui, clementiorem nacti ſortem, quam curioſiſſime coluntur, elegantiore amictu veſtiuntur, in ſpatioſioribus cubiculis & incunabulis ſumma ſub munditie degunt; ubi vel matris vel nutricis lac, neque atra neque flava, quae toties ſequitur aerumnas vel iram, unquam contaminatur bile; porro ubi nec ſuperſtitio, nec mala conſuetudo, aut ſingularis femellarum medendi pruritus, ſanitati puſionum, ac medici praeſcriptis clanculum inſidiantur.

Nec praetermittendus eſt, aut plenarius, primis a partu diebus evacuantium defectus, aut ſaltem eorum ſufficiens adhibito. Hi quoque magis periclitantur, quam quibus pituita e ſtomacho, aut meconium cito per alvum educta fuerunt. Non minus denique augetur

ad hunc morbum proclivitas, ſi nutrices, capacitatis replendi ventriculi, vel indigentiae puſionis ignarae, nimia abundantia ſimul, & iterata vice eundem infarciant; ad quod vitium per eiulatum, & haud intermiſſam inquietudinem infantis nimio iam lacte vel flatibus repleti, communiter invitantur.

Aëris denique, puſionem dies noctesque proxime ambientis, urinoſa, putreſcens, vel tantum vappida conſtitutio, ſymbolam ſuam ad aphtharum geneſin idemtidem confert, ac alimenta nutrici abſque delectu & nimis incurioſe ſubminiſtrata.

Accedit inſuper, pro complemento omnium cauſſarum praediſponentium, neglectus quotidiani Balnei uſus, quo cutis ſpiracula, caſeoſo ſmegnate oblitterata, deobſtrui, cutis ipſa autem nitida, atque liberrimae tranſpirationi apta reddi deberet. Lavantur quidem, cuius rei toties teſtis fui, puſiones, verum pura tantummodo aqua, nuda eaque feſtinante levique manu; quibus mediantibus, materia iſta unguinoſa, abſtergi nequaquam poteſt, ſiquidem, applicata veloci manu aqua, cutim ne madefacit quidem.

Poſtremo, magnum illud ſanitatis praeſidium, quotidiana oris collutio & repurgatio,

oppido rariſſime tanta, qua deberet, cura, in puſionibus adminiſtratur. Aliquid enim lactis ſub lingua alumnuli, in faucibus, gingivas inter genaſque a ſuctu haeret, inprimis in debilioribus infantibus, rancorem, vel aciditatem certo certius contracturi, &, haud abſque ſanitatis detrimento, novum alimentum ſuo infecturi vitio. Magis autem veteranarum nutricum lac, earumque, quarum tranſpiratio acidum odorem ſpargit, vitium hoc gignere ſolet, ac dulcius tenuiuſque iſtud iuvencarum.

Hiſce probe perpenſis, mecum haud dubie videbitis, puſiones, in numeroſis noſocomiis, non diu a receptione, in ſanitatis incurrere debere detrimentum, niſi maxima in ſumma munditie, apprimeque collocetur cura.

Etſi priſcorum medicorum nonnulli. Aphthas nupernatorum, pro ſpecie imperfectae criſeos febris venditaverint, e quorum cenſu KETELAER & SLEVOGT primas tenent; tamen mihi, veritatem huius aſſerti ſolertiſſime perſcrutanti, oppido raro contigit, febris notam ante aphthas natas detegere potuiſſe: hinc *haſce* oris papulas *nupernatorum*, pro morbo primario, ſub cuius incrementum febris lenta demum accedit, habendas cenſui.

Generatim autem in hiſce borealibus re-

gionibus haec eſt Aphthis infantum *natura*: Puſio apparenter ſanus, in ſuis incunabulis quietior, profundo quaſi ſubmerſus ſomno, iacet, nec eiulatum prius exſerit, quam quodam conamine expergefactus. Neque fames neque ſitis, vel aliud quodvis incitamentum naturale ſufficere videtur, ut velut ſua ſponte evigilet. Urinam copioſius mittit, & quidem adeo, ut omnia quibus circumdatus eſt, velamenta, inde madeſcant: Quod mulierculae ubertati lactis adſcribere ſolent. Alvina autem excretio, in hoc ſtadio morbi utplurimum retardatur: excrementa viſcidiora, *limoſa*, &, ubi reſiccaverint, virideſcentia, excernuntur. Tertio iam die, una vel altera papula aphthoſa in alterutro labiorum, in lingua, vel interioribus genis, in conſpectum venit. Sub ipſa harum papularum apparitione, os & lingua puſionis quodammodo areſcere videntur, ubera crebrius concupiſcit; verum, cum abſque manifeſto dolore ſugere nequeat infans, cum eiulatu & animi excandeſcentia, papillam ſtatim reſpuit. Aphthae interhaec numeroſiores, catervatimque popullulant, & per novem dies adeo, ut nonnunquam omnis, qui viſui patet, interior oris fauciumque ambitus, albidis hiſce papulis, non modo tectus compareat,

ſed etiam limbos labiorum transgrediantur, quin immo ad anum uſque excurrant.

Sub morbi ſtatum alvus quondam conſtipatior, liqueſcit; infans virideſcentia non abſque dolore reddit excrementa; urina parcior, ſed ſimul lixivio ſimilis mittitur, qua cruciatus dirum in modum exaſperantur. Ubi demum omnia per negligentiam, vel praepoſteram aut anicularem curam, in peius ruunt, papulae cinereſcunt aut adeo nigreſcunt; anus, genitalia, hiſce ſpurca, excoriantur; ſphacelus hinc inde carnes exedit, vox rauceſcit, & pallida mors lumina vix nata claudit.

Ineſt quoque peioris notae Aphthis aliquid peſtiferi, alia corpora contactu, ſuo contaminantis vitio faciliori vel difficiliori conamine domandum, prout ſuccorum contaminata adeſt, vel delinquit, integritas. Tranſit autem haec infectio mutuo, tam a nutricis uberibus ad fauces lactentis, quam ab his ad illa. Hinc patet unam nutricem, aphthis infectam ſufficere, pro pluribus puſionibus inficiendis, iiſdem tantum lactatis venenatis papillis.

Nec impune, integerrima ſanitate gaudens puſio, in incunabulis requieſcit, in quorum lectulis aphthoſus infans nuper recubuit, utique ſi forſan aphthis ano circumſitis laboraverit.

Quodſi itaque omnia recenſita phaenomena colligamus, *cauſſa* huius infantilis morbi eo facilius ac luculentius erit dignoſcenda, ſi a iuvantibus depromtum argumentum adſtruere liceat.

Quilibet puſio, ut ſupra iam dictum fuit, ab exitu ex utero materno, caſeoſa iſta materia in omni cutis ambitu tectus eſt, materia tam tenaci, & tam extenſibili, ut non abſque ulla difficultate abſtergi queat. Haec ipſa, exhalantia, miriadim per cutim ubique patentia oſcula, vel certe maximum earundem numerum, conſtipat adeo, ut tranſpirationi liber ſucceſſus per id ſit negatus. Remiſſum tunc flumen, ad urinae vias ſe recipit; hinc largior huius ſecretionis profuſio. Veruntamen, cum renes omne illud, quod a cute acceperunt, & indiſcriminatim ſecernere neſciant, ſed tantum urinae analogam partem, neceſſario retrimentum quoddam maſſae ſanguineae admiſtum manet, augetur, & non uno modo futuro morbo pabulum ſubminiſtrat. Mihi idcirco valde probabile viſum eſt: retrimentum tranſpirationis, patula & abunde in oris cavum hiantia vaſa exhalantia ubertim quaerere, eadem arrodere, cuticulam teneriuſculam in minutiores veſiculas attollere, & ſic papulas formare, quas Graeci *αφθαι* vocant.

Ab altera parte autem, liquamen, vel potius illuvies, quae in omnium nupernatorum ventriculis abunde obviam eſt, noſtram aequo iure poſcit conſiderationem, ac impuritates inteſtinorum, ſub meconii nomine venientes. Cognitum ſatis ſuperque eſt, quanta mala ſtruat talis colluvies, ubi lento gradu in ſanguinis ſuccorumque orbitam recepta eſt, lympham, cuius eſt congener, prae omnibus aliis, ſalivaleſque ſuccos corrumpens.

Nimis longum foret, & ſane omnis utilitatis expers opera, in abſtruſiores naturae fabricas profundius inquirere, & demonſtrare velle, quare hiſce ſub auguriis, Aphthae progerminent, & non magis miliares aut aliud ſimile Exanthema. Sufficere, meo iudicio, poterit noſſe, hiſce ſublatis cauſſis, tranſpiratione nimirum cohibita; exterminatis, quibus ventriculus & inteſtina ſcatent immunditiebus; averſo contagio, & quae reliqua ſunt, ſymbolam ſuam ad aphtharum geneſin conferentia, effectum, ſeu Aphthas nequaquam in conſpectum venire, puſioneſque hocce malo nunquam affici.

Audiatis igitur alterum, a iuvantibus appellatum argumentum.

Multum diuque inquiſivi, anne certa fida-

que methodus proſtet, Aphthas a recens natis avertendi. In regione nimirum boreali prope latiſſimum inferioris Germaniae fluvium, ubi ego medicinam facio, tanta erat huius morbi celebritas, ut anicularum quaeque, infante nato, Aphthis nil expectaret ocyus. Vehementer hinc me ufferat negligentia maiorum, qua nullo ſtudio, integritatem ſanitatis, quam divina clementia puſionibus in lucem editis impertiri ſolet, tueri, & fragilitatis vitae humanae anteſignanum avertere, fuerunt anniſi. Hinc cognitis cauſſis proegumenis, ſequentem prophylaxin futuro morbo oppoſui:

I. Tenellos ſtatim a partu, balneo tepido, addito ſapone veneto, vel in delicatioribus vitello ovi & pauco ſale, immittere, & panno laneo molli, quam curioſiſſime, in omni corporis puncto abſtergere curavi, & quidem primis diebus bis, deinde ſemel ad finem quartae aut quintae ſeptimanae. Signum autem perfectae cutis munditiei hoc habebitis: ſi quaelibet corporis pars, aqua aſperſa prompte & aequaliter madefit. Contra vero ſi aqua intacta velut cute, vel, ac ſi oleo aut alia pinguedine inuncta eſſet, iterum defluit.

II. Relictis omnibus aliis remediis, quibus cana conſuetudo vim legis impertiit, cuius

farinae ſyrupus de cichoreo cum rheo, vel ſolutio mannae in aqua foeniculi &c. eſt, hoc linctu emeto-cathartico puſiones ανω και κατω pro indigentia a fortibus purgavi

Rec. Syr. de Mann. Unc. iij.

Iacea. Unc. j.

M.

Hoc medicamentum ope minutiorum cochlearium, tanta doſi (tria, quatuorve ſimul peaebere ſoleo, & ante quam tenello ubera data ſunt, adhibui); quanta pro ſuſcitandis tribus quatuorve vomitibus ſufficeret. Ineſt enim iaceae herbae emetica vis. Irritabilitas autem ventriculorum non ubique eadem deprehenditur. Alvus interhaec piceas illas ſordes affatim reddere ſolet: quod autem, ubi non ſatis, vel non ſatis cito evenit, id enematibus repetitis ex hydromelle & pauco oleo aſſequi praeſtat.

Sola autem ſordium naturalis conditio, & ab altera parte, medici exiſtimatio, determinare debet, quoties & quamdiu emeſis, vel alvi elutio repetenda erit. Emetica autem virtus ſyrupi, partim aſſuetudine, partim autem lactis materni interventu, valdopere mitigatur, & quidem adeo, ut tum tanquam laxans ſolum conſiderari mereatur.

Adhaec os & fauces puſionis frequenter, & ſaltem ter per diem, aqua ſalviae cum quarta parte vini rhenani remixta, vel in familiis ubi res domeſticae anguſtiores erant, aqua pluviali cum quinta parte aceti, quibus quidpiam ſacchari vel mellis additum erat, abſtergi curavi.

Sicut munditics ubique ſaluberrimus per vitam humanam comes eſt, ſic quoque, quantum ad educationem & enutritionem tenellae aetatis attinet, quam ſolertiſſime caveo, ne nutrix illotis uberibus, vel vieta ſpurcitie ſcatente amictu, ad infantem accedat: arceoque ne nutrix ſano infanti ubera praebeat, aphthoſo veneno iam contaminata: & veto, ne puerpera, dum lochia rubra vel alba fluunt, infantem in lectum recipiat, vel ſaltem non diu, multo minus continuo retineat: aër quippe impurus, ſubputridus, ſanitati teneriuſculi corporis eſt infenſiſſimus.

Dein quam curioſiſſime averto, ne infans, forſan per incuriam vel negligentiam famulantium, in propriis ſordibus, & urina madidis linteis, diu recubare cogatur. Ipſa natura enim abhorret talia inquinamenta, & lamentabili fletu manus auxiliatrices, munditiemque conſolabilem poſcit.

Digitized by Google

Poſtremo omnis in eo ſum, ut Diaeta nutricum, pro aetatis ac virium lactentis ratione, adornetur. Farinoſi cibi, legumina pinguia, fumo vel ſale condita, lacti pronitatem ad aceſcentiam, vel ad rancorem impertiunt. Pro potu, primis a partu diebus, ſufficiet pura aqua cum immerſa cruſta panis, vel hortei decorticati decoctum, cum pauxillo Cornu Cervi raſpati.

Demum nutrices doceo, quam pauco lacte ventriculus recens nati, & ſuſtentandae vires vitae indigeant, eaſdemque commonefacio, ne eiulatum infantis, cuius ventriculus forſan iam ultra indigentiam repletus, vel flatibus diſtenſus eſt, ſuperingeſto lacte protinus ſopire conentur: hoc enim ipſo saepiſſime numero prima, ad aphthoſum morbum eumque peioris genii, iaciuntur rudimenta, leni emetico, vel carthartico, vel tantum enemate, vel levi manufrictione antevertenda.

Haec modo recenſita prophylaxis, ubi ad unguem adplicata fuit, ubi cuncta, ſive Diaetam nutricis ſpectem, ſive ipſius infantis, accuratiſſime fuerunt obſervata, nullibi Aphthas vidi. At enim vero, ubi negligentius id factum erat, vel tantum quantum volupe erat, aphthae quidem, aſt lenioris genii popullula-

vêre, & pro rata, leniſſimis abigendae remediis; certiſſimo teſtimonio, me, circa cauſſas aphtharum pariter ac circa methodum iis medendi, non erraviſſe.

Haud intermiſſa tamen experientia ſum edoctus hanc, etſi palpabilem, & proſpero eventu coronatam methodum, ſuos, ob ſervile obſequium inveniſſe oſores; interim immota mente principiis rationalibus inhaeſi, viciqne, ſi non ubique, paſſim tamen, refractariam anicularum conſuetudinem, & ſartos ab aphthis tectoſque reddidi puſiones.

Applicatio huius propbilaxeos ad Paidocomia.

Difficultates, quibus introductio huius Prophylaxeos in numeroſum Paidocomium premittur, me plane non fugiunt; inprimis cum ab una parte, de avertendo morbo ab apparenter ſanis, ab altera autem, de adſtringendis famulis foemininis ad nova officia, & multiplicatas curas, agitur. Eae, quae ſanis inſerviunt, de imminente morbo ne cogitare quidem ſolent, & omnem huc impendendam curam flocci habere, vel priſtinam conſuetudinem, novae methodo longe anteponere non dubitant. Novi perbene vim, & certo reſpe-

ctu

ctu iura antiquitatis & morum, praeprimis qua coetum ſervientium attinent: quilibet eorum duram frontem, novitatem olenti officio clanculum & fraudulenter opponit, & nova praeſcripta, ſeu novum officiorum ordinem, eludere, & deſpicatui facere conatur. Interim Veſtrae, o Medici Antiſtites! prudentiae, & auctoritati nihil tam grave, dicam, tam rebelle erit, quod non vinci & in ordinem redigi poterit.

Maxima praeprimis, in ſegregatione & omnimoda ſeparatione ſanorum ab infirmis, collocanda eſt cura, cui non nutrices ſolum, ſed etiam coetus femellarum ſervientium erunt adſtringendae: cura, eo ſane extendenda, ne linteamentorum, pulvinarium, vaſorum menſalium, vel eorum quae ad medicamentorum porrectionem in promptu habentur, communis infectos inter ſanoſque concedatur uſus.

Multo minus autem in officium noſocomii admittantur nutrices vel ancillae, venerea, vel ulla alia labe infectae. Nec infans, ab utero iam, venereo veneno contaminatus, ſanae nutrici tradatur: metus enim eſt, ne vitium clandeſtino modo ab alumnulo in ſanam nutricem, & ab hac in plures puſiones, inſontibus hucuſque enutritos uberibus, atque hoc ipſo duplex malum, tranſeat. Interim hiſce, vene-

ream labem reſpicientibus curis immorari, mearum, per quaeſtionem a Vobis promulgatam, partium, non eſſe duco; hinc ne ultra metam exſpatiatus eſſe videar, haſce mitto, & adhuc nonnulla de Aphtharum *curatione* ſubiungo.

Et quidem primo benigniorum. Hae ſparſim in labiis, gingivis, lingua, palato, & genis, tanquam albidae, vel ſubflavae papulae progerminant, quae in veſiculam depreſſam, vix aut ne vix quidem quidpiam liquidi continentem, terminantur, quae rupta areolam excoriatam & dolentem relinquit. Talis eſt externa Aphtharum facies, quae autem, cum magis ſtadium morbi, atque quid ſperandum aut metuendum ſit doceat, mihi minus inſcruit in indicationibus curativis eruendis, ac quidem verior lapis Lydius, ſecretionum & virium vitae ponderatio: haec enim propius ad ea ducit quae agenda, aut aliter regenda ſunt.

Quodſi itaque puſionem video, qui urinae inſolitam copiam diu noctuque mittit, qui ultra modum ſomnolentus eſt, cuius alvus minus reſpondet, admoneor: perſpirationem cohibitam ab una parte, renibus magis incumbere, & ab altera, alvi conſtipatione ſanguinem caput verſus magis urgeri, inſuperque ventriculum aut per ſaburram mucoſam, aut per mutuum

cum renibus commercium, male affici. Omnia haec phenomena autem ſub ipſo Aphtharum limine iam adeſſe, quotidiana edocemur experientia. Hinc ſimulac aliquot Aphtharum papulae ſeſe viſui praebent, ſequentia molior.

I. Balneis abſtergentibus, tepidis, cutim tranſpirationi aptiorem protinus reddo, atque per id ſimul ſpaſmum, ſi qui eſt, praecordiorum ſopio.

II. Emeto catharticum, praemiſſo uno alterove enemate, adhibeo. Minus congrua autem huiuſmodi pharmaca videntur eſſe, ubi morbus altiores iam egit radices, quin potius tum, in leniſſimis alvum ducentibus, vel ſolis enematibus ſubſiſtendum ſit.

III. Topico oris vitio ſequens euporiſton, tamquam ſpecificum appoſui remedium:

Rec. Succ. ſemperviv. maj. tect. dr. ij.
Aqu. plantag. Unc. ij.
Borrac. venet. Scrup. j.

M. Applicetur ope penicilli e filis linteis parati, quo omnis interior oris ambitus attingi poſſit. Infantibus delicatioribus hoc medicamentum reddidi acceptius, quod cuſpiti penicilli quidpiam ſyrupi inſtillaverim: mixtura enim tale additamentum non fert, vel ſaltem eo prompte in corruptionem abire ſolet.

Quamquam per haec remedia morbum ingraveſcere hucuſque nunquam viderim, tamen ſuae periodo, per novemdium pertinaciter adſcripta manſit.

Sub ipſam eius declinationem, alvus liquidior, in diarrhoeam abire ſuevit. Papulae nimirum, per omnem inteſtinorum tractum, modo ſparſim, modo tenſo agmine migrant, irritant, atque excoriando, ſenſibiliorem reddunt nervoſam eorum membranam. Hinc puſiones hucuſque tranquilliores, attractis & ad abdomen reclinatis femoribus, iiſque ſub torminum feroci reditu, valde agitatis, iacent. Parcam ſed ſaturatiorem mingunt urinam, & ano feroſa, viridiuſcula, & in peiore ſtatu cineritia vel adeo albida, urinoſum olentia reddunt ſcybala.

Hiſce ſub auguriis convenientius haud inveni morbo opponendum remedium, quam hoc:

Rec. Rad. Salab. dr. ij.

Sem. lin. rec. & elect. Unc. dimid.

C. C. infund Aqu. ferv. Unc. decem.

Teneantur adhuc ſuper carbonibus per aliquot temporis ad ſufficientem extr. tum per pannum traiice, & in claro liquore diſſolv.

Borrac. vener. dr. dimid.

Extr. lign. Campech.

cort. peruv. ana dr. j.

Digitized by Google

Syr. de Alth. Unc. j.

MS. In biduo infanti cochleatim praebendum.

Aut in huius locum Emulſio arabica, additis extractis modo nominatis. Circa noctem aliquot minutiora cochlearia ſyrupi de meconio adiungi poſſunt.

Similia autem enemata lenientia, mucilaginoſa, pauco Borrace addito, alvo, bis forte per diem, immittenda ſunt.

Hiſce remediis dolores quidem leniuntur, acre vellicans involvitur, inteſtina roborantur, & febri, ſi qua eſt, occurritur: verum enim vero, hiſce omnis pagina nondum abſolvitur. Urinae nimirum penuria, & urinoſo alvinae excretioni odore, haud obſcure indicitur, aliquam eius partem, irritatione huc allectam, actu vim morbi ac putredinis exaſperare. Hinc remediis modo nominatis, diureticum, renibus ipſis externe adplicandum, quo acris ſalſuginoſus iſte humor, ab inteſtinis peregre ferendus, iterum avocetur, iungendum ſuadeo. Einſmodi remedium conſit, ex oleo therebinthinae depurato, vitello ovi, & aqua deſtillata. Tali litu regionem renalem in dorſo, aliquoties per diem, eo effectu iniungi curavi, ut urinae maiore fluerent copia, & inteſtina inde liberarentur.

Inter haec vero, cum lac nutricis per inquietudinem, ſollicitudinem, ſomni reficientis, & illaeſae tranſpirationis defectum, ſaepiſſime numero alteretur, ut ſero non ſolum abundet, ſed etiam ad acidam naturam nunc magis vergat, infanti non uno nomine nocivum: nunquam omiſi nutricem conſolari ſomnum, quietemque quovis modo procurare, atque imprimis lactis ad acidum propenſionem averruncare.

Nihil ad hunc ſcopum aptius, nihilque magis proficuum inveni, aqua calcis vivae. Praebui nutrici huius aquae, quovis mane, uncias quemadmodum quatuor, cum totidem lactis vaccini, ſublato prius cremore. Sub ipſum huius aquae uſum, viridiuſculus faecum infantis color, iuxta atque urinoſus earundem odor evaneſcere ſolent; diarrhoea ipſa minuitur, dum urinae, ut debent, fluere redinchoant. Cavendum tamen, ne adhibitio huius aquae, ultra limites extendatur.

Si tum, feliciter abacto morbo, quid ſupereſt debilitatis inteſtinorum, huic vitio, corticis peruviani ſaturatiore decocto ſemivinoſo, linteis, vel melius lana hoc decocto ſuccida, abdomini ſaepius ſuperdata, ſatis prompte medetur. Nec obeſt, infanti quid-

Digitized by Google

piam extracti corticis; in ſyrupo de manna ſoluti, praebere. Vires enim, & robur, inteſtinis per id redditur, alvuſque blandiſſimo modo ad ſuum admonetur officium.

De Aphthis peioris notae, vix habeo, quae e propriis periculis referam: cuncti enim, quibus haec methodus temporius adminiſtrari potuit, aut penitus intacti manſerunt, aut quidpiam incommodi tantum praelibarunt.

Interim de portentoſa iſta Aphtharum ſpecie, quae per ſtomachum ad fauces adſcendere ſolet, aliquid tantummodo moneam.

Agnoſco quidem imminens maius periculum, ubi Aphthae hoc modo ab interioribus ſedibus in apricum veniunt, cum eo tamen, ut periculum efficientem cauſſam, minime in ipſis his papulis quaerendam eſſe autumen, quin potius in febre iſta continua remittente, quae hanc aphtharum ſpeciem genuit. Quodſi enim antecedentia perpendamus ſymptomata, quae ſuperficiarium obſervatorem utplurimum fugere ſolent, ſatis ſuperque erimus praemoniti de futura aphtharum apparitione.

Sicut enim in adultis febre aphthoſa correptis abs indelebili anorexia, ſputis, ſapore ſaponaceo, rancidam pinguedinem aemulante;

a ſenſu preſſionis in cardia, & demum a ſiti, cui, quiſquis ſit potus, ſatisfacere diu nequit, praenoſcere licet, naturam Aphthas meditari: ita puſiones diu, & fere indeſinenter cum reiectione omnium quorumcunque nutrimentorum per ſtomachum, & ſingultu colluctantur; deglutitio eſt impedita; praecordia dolent; vox raueeſcit; febris, quae huc uſque ſub cineribus quaſi latuit, & in interioribus arſit viſceribus, maiorem interdum nanciſcitur vim, quam & iterum remittit. Haec modo memorata ſymptomata, utplurimum peioris genii Aphthas habent pediſſequas.

Quae ubi demum, diuturno naturae molimine, nata ſunt, quis dicere auſit, id febris vel periculi decremento factum eſſe? Mihi ſane nullibi unquam inde obſervare contigit aliud — quam mutationem morbi in peius. Habe autem haec febris, prout omnis alius proſapiae, febris continua remittens, ſuas diurnas perinde ac periodicas remiſſiones, iam diu ante Aphtharum apparitionem diſtinguendas, minime itaque hiſce, ſed ſtatae periodo remiſſionis adiudicandas. Neſcio itaque quo iure huiuſmodi Aphthae, criſibus imperfectis a quibuſdam adnumerari poſſint, cum neque aeger inde levetur, neque durationi morbi aliquid

dematur. Meo igitur iudicio nil aliud ſunt, quam ſignum ominoſi ſtatus humorum; quae opinio, ſuffragantibus tot phthiſicorum hecticorumque exemplis, corroboratur.

Quoties itaque febrem talem continuam remittentem, & gaſtrica, ſupra memorata ſymptomata in tenello obſervare contingit, omnis in eo ſum: ut primae viae aptiſſimis remediis a ſordibus purgentur, reliquis excretionibus proſpiciatur, & febris ratio habeatur. Praeſtat autem audacior evacuatio, ſemel inſtituta, leniori & iteratae. Cavendum enim, ne temporis iactura, illuviei, e primis viis levi conamine eliminandae, tranſitus in univerſalem orbitam humorum concedatur.

Excretionibus autem, ſecundum perpetuam humanae naturae legem ſuſtentatis, obtinetur, ut fomes ille aphthoſus citius iterum eliminetur, ac ſonticō modo radices agere, & in faucibus efflоreſcere poſſit.

Dum autem hoc agitur, ab interno Borracis & antiſcorbuticorum leniorum uſu, plurimum expecto.

Ubi autem papularum potior pars, atro tincta apparet colore, res aegri utcunque pro conclamatis ſunt habendae: extrema enim corporis vivi mutatio, putredo, iam adeſt, &

antiſepticorum, larga, immo prodiga manu adhibendorum, paeſciſſa occaſio.

Quum itaque haec aegritudo, inter eius primordia leviſſimis abigenda remediis, dum adolevit, in irreparabile ſanitatis vitaequae ruere ſueſcat detrimentum, utique irreparabile, ſi tenerrimam vix nati fabricam ab una, & difficultates ab altera ſimul ſpectem, quibus huic aetati medicina paratur, conſentietis mecum: aptam, & haud cunctanter adminiſtratam Prophylaxin, omnibus aliis remediis, *ſecuritate*, palmam praeripere.

FRIDFR. GUILIELMI KÜHLENTHAL

XANTENA - CLIVENSIS

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

STERILITATE FOEMINARUM

Duisburgi 1790.

§. I.

Sterilitas foeminarum eſt ille mulierum morbus, quo aut cum viro coeundi aut ſub amplexu viri non impotentis prolem concipiendi facultas denegata eſt. Vocatur etiam *infoecunditas & ageneſia* foeminárum.

§. II.

Ad ſterilitatem pertinent ergo non ſolum impedimenta conceptionis & propagationis, quae in foemina ad coitum non inepta occur-

rere poſſunt, ſed & obſtacula, quae iuſtum cum mare concubitum impoſſibilem reddunt, meritoque inter has ſterilitatis cauſſas primo loco diſcernitur.

§. III.

An vox ſterilitatis a στερέω, *privo* deducenda ſit, parum intereſſe videtur, ſed monendum eſt, eam communiter de ſexu ſequiore tantum adhiberi ſolere; in viris nempe, qui prolificationis facultate privantur, hic morbus vocatur *impotentia*. Quia vero impotentem eum dicimus, qui in concubitu ſe virum praeſtare nequit, atque hoc reſpectu potens vir tamen non raro ſemen emittit, prolificante vi deſtitutum, hinc vocabulum ſterilitatis etiam ad viros applicandum & ſterilitatem quoque virorum admittendam eſſe apparet.

§. IV.

Foeminarum vero, experientia teſte, multo plures ſteriles ſunt, quam virorum, quae differentia MANNINGHAMO (*a*) tanta viſa eſt, ut triginta mulieres ſteriles in ſingu-

(*a*) Compend. artis obſtetric. Sect. de concept. pag. 51. Ed. Boehmer.

los mares impotentes aſſumat. Cuius quidem ſequentes cauſſae in promtu ſunt:

1. Virorum diuturnior eſt foecunditas, cum non ſolum maturiore aetate potentes ſint, ſed & diutius ad ſexageſimum, immo ſeptuageſimum quandoque aetatis annum potentiam conſervent, e contra vero foeminas vix per triginta annos generationis negotio aptas eſſe conſtet.

2. Quia foeminae generaliter pluribus, quam viri, obnoxiae ſunt morbis, unde conceptionis functio turbari poteſt, imprimis vero uterus ipſe, ſexcentorum morborum fons merito dictus, quamplurimis morbis anſam dat, ſimulque.

3. Uterus conceptionis organon primarium, ab omni fere mulierum morbo afficitur, quare non incongrue a WEDELIO effectuum muliebrium centrum vocatus eſt, a quo omnes, inſtar linearum ducuntur, & in quem omnes ex toto corpore confluunt.

§. V.

Sterilitatis eiuſque imprimis cauſſarum cognitio Medicis duplici reſpectu utilis & neceſſaria eſt: nempe

1. In praxi medica ad curam foeminarum, quae prolem deſiderant, in quo caſu cauſſam inveſtigare oportet, qua ſanabili cognita, facile quoque ſaepe ſterilitas curatur, dum iuſtis remediis contra cauſſam luctamur, neque amuletis, ſpecificis aut aliis ſimilibus aegram ſpe fruſtanea tenemus.

2. In caſu medico-forenſi, quando de divortio ob ſterilitatem uxoris faciundo lis movetur.

§. VI.

Dantur vero *ſterilitatis varia genera* & plures *diviſiones*, prouti vel ad organum, in quo vitium haeret, vel ad naturam vitii, vel ad durationem ſterilitatis, vel ad alia reſpicitur. Maximi vero inter has ſterilitatis diviſiones ea eſt momenti, qua reſpectu cauſſarum conſideratur, adeoque hanc primo loco recenſere, ceteras diviſiones demum poſt cauſſarum enumerationem ſubiungere utilius duximus.

§. VII.

Antequam vero ad ipſam cauſſarum ſterilitatis recenſionem tranſeamus, non incongruam videtur prius breviter *requiſita* narrare, *quibus ad foeminarum foecunditatem opus*

eſſe videtur, quo nempe facilius & luculentius ex eorum defectu ad cauſſas ſterilitatis concludi poſſit.

Ut nempe foemina foecundetur, generaliter requiritur:

1. Ut cum viro congredi poſſit, ut nempe virili membro ſatis liber ad vaginam pateat aditus.

2. Ut ſemen virile ſub eiaculatione in uteri cervicem ipſam per apertum os iniiciatur; ad minimum neceſſe eſt, ut orificium ſub eiaculatione penis glandi ita obverſum pateat, ut tempore eiaculationis ſaltem aura ſeminalis libere in uteri cavum aſcendere queat; improbabile enim non eſt, ſub coitu, cervicem, ob maiorem ſub exercitio venereo ad has irritatas partes ſanguinis affluxum, quodammodo erigi, atque ita orificium & cervicem pro recipiendo ſemine aperire.

3. Ut tubae Fallopii apertae auram ſeminalem recipientes erigantur, laciniiſque ovaria cingant.

4. Ut vaſa uteri & genitalium eo tempore libera, pro neceſſario humorum & ſanguinis affluxu ad nutriendum imprimis foetum ſatis extenſa, pervia ſint, adeoque menſtruorum fluxus non deficiat.

§. VIII.

Cauſſas vero *ſterilitatis* eo ordine pertractabimus, ut

A. de *cauſſis phyſicis*, quae in corpore foemineo ſedem habere poſſunt; dein &

B. de *cauſſis moralibus* agamus, quatenus nempe animi affectus ad ſterilitatem conferre poſſunt, tandem

C. *externas* quaſdam *cauſſas* ſubiungamus, quae in corpore foemineo, licet rite & iuſte conformato ac foecundo, ſterilitatem producere poſſunt, vel poſſe dicuntur.

§. IX.

A. *De cauſſis ſterilitatis phyſicis*.

Phyſicae ſterilitatis cauſſae ſunt affectiones quaedam vel totius corporis, vel partis cuiuſdam, quae foeminarum ſterilem reddunt; poſſunt hae dividi

I. *in illas, quae in ipſis genitalibus ſedem habent*, quando nempe haec

1. aut mala conformatione, aut ſitu praeternaturali, aut defectu peccant, vel morboſe affectae ſunt.

2. Quan-

2. Quando genitalia naturaliter quidem ſe habent, attamen propter cauſſam naturalem ad conceptionem inepta ſunt, adeoque *ſterilitas naturalis* eſt, uti in impuberibus, vetulis & lactantibus obtinet.

II. In illas cauſſas, quae *non tam in genitalibus*, quam potius

1. vel in toto corpore,

2. vel in aliis quibuſdam praeter genitalia partibus haerent, imprimis illis, quae genitalibus vicinae ſunt.

§. X.

I. *Cauſſae ſterilitatis phyſicae, quae in partibus generationi inſervientibus haerent.*

A. *Primo* quidem huc referendae ſunt illae ſterilitatis ſpecies, in quibus genitalia aut praeter naturam conformata ſunt, aut a naturali ſitu aberrant, aut defectu peccant, aut ſaltem morboſam quandam affectionem patiuntur, quae foecunditatem impedit.

§. XI.

In quibuſdam talis ſterilitatis ſpeciebus concubitus quidem cum viro iuſto modo fieri poteſt, facultas vero prolem concipiendi defi-

cit; in aliis autem concipiendi quidem facultas adeſt, ſed coitus impoſſibilis eſt, aut plus minus impeditur.

§. XII.

Pertinent ad hanc cauſſarum claſſem: imprimis *atreſia*. Atreta vel imperforata dicitur mulier, in qua aditus ad uteri cavum praecluſus eſt, ita ut aut genitale virile a vagina recipi nequeat, aut ſaltem ſemen ad uterum & ovarium vehi non poſſit.

§. XIII.

Dantur vero atreſiae varii gradus, & variae ſpecies.

Atreſia nempe dividi poteſt in *veram* & *ſpuriam*.

Vera dicitur, in qua aditus ad uteri cavum plane deficit. Hanc praecipue conſtituunt: concretio labiorum vulvae, hymen integrum vel membrana praeternaturalis vaginam in quocunque loco occludens; orificium uteri clauſum.

Spuria vocatur, in qua aditus ad uteri cavitatem quidem difficilis & magis aut minus impeditus, aſt non tamen plane impoſſibilis eſt, quo inter alia referenda ſunt: vaginae talis anguſtia, ut non quidem membro

virili aditus pateat, menſtrua tamen defluere poſſint, hymen craſſum, ſed foraminulo pertuſum; compreſſio vaginae a ſuperincumbente tumore quocunque; eiuſdem excreſcentiae, polypi, ſcirrhi, &c.

Atreſia dein etiam dividitur in *abſolutam* & *relativam*. Illa dicitur, ſi via ad uteri cavitatem nequaquam aperta eſt, *reſpectiva* vocatur talis genitalium, imprimis vaginae anguſtia, quae ob deficientem inter genitalia mariti & uxoris iuſtam proportionem reſpectu huius illiuſve viri tantum atreſia vocari poteſt.

§. XIV.

Diſcernitur tandem inter atreſiam *congenitam*, quae a mala partium conformatione dependet, uti a concretione labiorum vulvae naturali vel ab hymene oſtium vaginae plane occludente; & *acquiſitam*, quae a morbo quodam genitalium poſt nativitatem accedente originem habet, qualis eſt, ſi poſt partum artificialem, in quo genitalia laeduntur, vagina vulnerata concreſcit.

Tranſeamus iam ad recenſionem cauſſarum & affectionum ipſam, ubi quidem ordinem, quo genitalia ſeſe inveſtigationi offerunt, ſequemur.

§. XV.

Concretio labiorum vulvae patente tantum ſuperius foraminulo pro exitu urinae, urplurimum congenita, quandoque tamen & acquiſita poſt exulcerationem harum partium a variolis, vulneribus, ulceribuſque variis, rara quidem ſterilitatis cauſſa, ab HIPPOCRATE (*a*) tamen, ARISTOTELE (*b*) & CELSO (*c*) iam obſervata eſt.

§. XVI.

Frenulum vulvae etiam peccare poteſt, quando nimis ante orificium vaginae extenſum, praemagnum & craſſum eſt, quale exemplum Ill. WALTER obſervavit & eleganti iconi expreſſit (*d*), in quo caſu coitus cum viro rite fieri non poteſt.

(*a*) L. de morbis mulierum.
(*b*) De generatione animal Lib. IV. cap. 4.
(*c*) Lib. VII. de re medica cap. 28. foeminarum naturalia nonnunquam inter ſe coalitis oris concubitum non admittunt. Cf. etiam ROONHUYSEN Obſ. Lib. II. cap. de clauſura uteri obſ. 1.
(*d*) Betrachtungen über die weiblichen Geburtſtheile mit Kupf. Berlin. 1776.

§. XVII.

Clitoris praemagna, genitale viri longitudine aemulans, dum ſub oeſtro venereo intumeſcit, marito impedimento eſt, quo minus uxori ſe iungere poſſit, quae atreſiae ſpuriae ſpecies quandoque extirpatione huius membri, ſimulque cum ea ſterilitas ſublata eſt. Vitium hoc a medicis *Cercoſis* dictum, apud orientales frequenter occurrere, neonatiſque hinc puellis clitoridem forte praemagnam, mox poſt nativitatem extirpari, ALBUCSIS teſtatur.

Nymphae magnitudine excedentes, coitum impediunt, marito avverſionem creant, & hinc a populis quibuſdam orientalibus praeſcindi ſolent. Tales ad plurium quandoque digitorum longitudinem accedentes obſervatae ſunt. Tumores quoque in his partibus varicoſi, oedematoſi; caruculae fungoſaeque excreſcentiae, quae a diverſis cauſſis, venereo imprimis malo, exoriri poſſunt, iuſtum mariti amplexum difficilem reddere, adeoque ſterilitatem inducere poſſunt.

§. XVIII.

Variae quoque *Pronai* affectiones, uti glandularum ſebacearum tumores ſteatomatoſi,

ſinuum mucoſorum aut lacunarum Graafianarum morbi, inflammationes, exulcerationes, carcinomata occurrunt, quae vel tumore orificium vaginae praecludunt, vel ſenſibilitatem nimiam inducendo ob dolorem ſub coitu acerbiſſimum viro acceſſum denegant.

§. XIX.

Hymen, imprimis craſſum calloſum, *vel* integrum, ita ut aditum ad vaginam plane praecludat, *vel* foraminulo tantum levi pertuſum, quod menſtruis quidem effluxum, aſt virgae virili aditum non permittit. In naturali quidem ſtatu membrana haec ſub viri amplexu primo cedit, extenditur vel cum levi quodam ſanguinis profluvio difrumpitur; integra vero, & valde denſa inanes quandoque mariti niſus, foeminamque tam diu ſterilem reddit, donec per inciſionem, quae quidem cruciata eſſe debet, clauſtrum ſolutum ſit.

Similis etiam hymeni *membrana* craſſa & denſa *in diverſo canalis vaginae loco* ſedem habere poteſt, ubi tunc quidem, imprimis ſi altius prope cervicem uteri haeret, cum viro coitus fieri, ſemen vero ad uterum pervenire adeoque foemina concipere nequit. Ex plurimis, quae apud auctores habentur, obſerva-

tionibus hic tantum memorabilem illam notare ſufficiat, quam RUYSCH in obſervationibus anatomicorum chirurgicis (*a*) deſcripſit, ubi membrana talis duplex aderat.

Vaginae etiam *concretio* huc referenda eſt, quae mox partialis, mox plenaria fuit; quandoque talis, ut parietes plane inter ſe cohaererent, vel & per filamentoſas productiones tantum coniungerentur. Vitium hoc non raro congenitum, frequenter vero a praegreſſa laeſione, uti ulcere, venereo (*b*), vel alio, aut poſt variolas hic confluentes (*c*), aut ab imprudenti ſub partu difficili operatione, aut ex diſrupto per obſtetricis errorem perinaeo (*d*), vel ſub partu laborioſo (*e*) ipſa vagina (*f*) di-

---

(*a*) Obſerv. 22.

(*b*) BENIVENIUS de abditis morborum cauſſis, cap. 31.

(*c*) Exemplum Cf. apud BECKER praedioctonia inculpat. pag. 35.

(*d*) HALLER Vorleſungen über gerichtliche Arzneiwiſſenſchaft, 1. Band pag. 278.

(*e*) WALTER loc. cit. pag. 11. Vaginae orificium ſub partu laeſum erat, ut vulnus coaleret, foemina per tres hebdomadas femora ſibi proxime adducta ſervaverat, unde vaginae orificium ita concrevit, ut vix indicis apicem caperet. Similem fere ex concretione vaginae poſt partum difficilem atreſiam narrat Clar. GANTER apud HALLER loc. cit. Tom. I. pag. 426.

(*f*) ROONHUYSEN loc. cit. obſ. 2.

lacerata ortum ducere poteſt. Cum in hoc caſu quandoque vagina inferius ſatis late pateat, ſuperius vero clauſa eſſe poſſit (*a*), ſterilitatis hoc impedimentum ſaepe diu latet, imprimis ſi forte in concretione non plenaria per foraminulum menſtruis effluxus non denegatur.

Vagina etiam *ſcirrhoſam* & in omni ſuo ambitu tam tumens obſervata eſt (*b*), ut vix ſtylum nequaquam membrum virile admittere poſſit. *Vagina calloſa*, dura, & per totam ſuam longitudinem tam arcta, ut nonniſi cum magna difficultate calamum ſcriptorium caperet (*c*), ſterilitatem induxit, donec iuſtis remediis via ad uterum patefieret.

Generaliter *nimia vaginae anguſtia*, vel naturalis & connata, vel ex cicatricibus poſt vulnera (*d*) & quibuſcunque aliis cauſſis atreſiae ſpeciem & ſterilitatem inducit.

(*a*) Exemplum tale habet Cl. DUNCAN Medic. Comment. Vol. II. Lond. 1774.

(*b*) VAN SWIETEN Comment. Tom. I. pag. 857. Ed. Hildb.

(*c*) BENEVOLI Diſſert. cit. obſerv. pag. 86. V. SWIETEN loc. cit. Tom. IV. §. 1290.

(*d*) Exempla ab auctoribus notata copioſa Cf. apud HEISTER Chirurg. cap. 146. & apud HILDANUM Obſerv. Cent. III. obſerv. 60.

Praeter haec vero vaginae vitia memorandi quoque ſunt *tumores* in vaginae canali haerentes eumque replentes, aut ſimiles inter eiuſdem tunicas vel ſuper eam locati; hinc atreſiae & ſterilitas ex polypis vaginae, ex eiuſdem oedemate (*a*), varicibus, quales quandoque in graviditate & ſub partu oriuntur, aneuryſmatico tumore, ſteatomate, variis excreſcentiis, ſarcomate (*b*), obſervatae leguntur; tales enim tumores, ſi duri ſunt, vaginam penitus obturant, membrumque virile arcent, ſi molliores, uti varicoſi, coitum quidem non plane impediunt, aſt ſeminis tamen ad uterum iter, quia ſuperius ante penem vaginam coarctant, denegant.

Vagina exulcerata, cancroſa, excoriata, fiſtuloſa coitum quidem non impoſſibilem, ſed ob dolorem coniunctum intolerabilem reddit, & viro periculoſum, imprimis ſi ulcus forte venereum genitalia obſidet, quare & haec ſterilitatis cauſſis adnumeranda eſt.

Prolapſus quoque *vaginae* generationis

(*a*) VIGELIUS Diſſ. de atretis. Gieſſ. 1761. §. 19.
(*b*) Immo & ab accumulatione ſcybalorum in inteſtino recto, atreſia, quae tamen conſtans eſſe non poteſt, annotata eſt. Cf. RUCKER C. Lit. Nor. 1744. pag. 340. VIGELIUS loc. cit. §. 21.

impedimentum eſt; licet enim hic quandoque cum moleſtia & non ſine dolore concubitus fieri poſſit, ſemen tamen e regione oris uteri non effunditur, ſed ad latera cervicis fruſtra effluit, quod eo certius evenire debet, quando vagina integra prolapſa eſt.

Idem fieri neceſſe eſt, quando *in vaginae hernia* canalem eius replet, quod quidem malum vel ex deſcenſu inteſtini per praeternaturalem in pariete vaginae poſteriori, enatam dilatationem, vel ex veſica in pariete vaginae anteriore tumorem hernioſum procreante, oriri poteſt. Coitus hic cum viro non ſolum doloroſus, ſed & quandoque periculoſus, immo non raro impoſſibilis eſt; praeter haec etiam ob uteri cervicis directionem mutatam ſemen non recipitur.

§. XX.

Vagina etiam *nimis longa* eſſe poſſe contenditur, quia tunc ſemen aegrius ad os uteri duci poteſt, ſed haec cauſſa nunquam, rariſſime ſaltem adeſt, neque hic indigemus hypotheſi Veterum, qui ligamentis uteri rotundis eam functionem tribuebat, ut uterum in vaginam detruderent, membroque virili obviam mitterent.

Neque *vaginae brevitatem* praeternaturalem quandoque obſervatam praeterirè ſilentio poſſumus, cum & haec eodem modo, quo mox dicendus uteri prolapſus conceptionem difficilem reddat, quia membrum virile naturalis longitudinis ſub coitu tunc cervicem uteri ad parietes vaginae apprimit, ſemenque in ſecundum vaginae, ſpe conceptionis fruſtrata, eiaculatur.

Tandem *vaginae* vel genitalium *ſenſibilitatem* nimiam ex quacunque morboſa affectione ſuperaddere non dubitamus, quia coitum quandoque impoſſibilem foeminamque ſterilem reddere poteſt, uti exemplum a Clar. GUNTHER obſervatum docet, quo foemina ex contuſione genitalium in loco inter urethrae & vaginae orificia tantam ſibi contraxerat ſenſibilitatem, ut nunc poſt longum ab inito matrimonio tempus applicationem membri virilis nullo modo nec minis nec blanditie commota perferre poſſit.

Vaginae inſenſibilitatem, nimiam ariditatem & *nimiam laxitatem* & *amplitudinem*, ne quoddam in vagina foecundationis impedimentum praeteriiſſe videamur, hic tantum nominare ſufficiat, cum *inſenſilitas*, ubi nempe foemina in coitu omni voluptatis ſenſu caret,

vix in vagina ſola locum habere poſſe videatur, potiuſque ad generaliora corporis vitia reducenda ſit, *nimia ariditas* vero vix ſine aliquo iam recenſitorum vitiorum, calloſitate aut ſcirrho vel ſimilibus exiſtere queat, *laxitas* autem, ſi vitio eſſe poteſt, tanta eſſe debet, ut prolapſum cauſetur, de quo iam dictum eſt. *Amplitudinem* denique, quam & HALLERUS (*a*) recenſet, niſi membri virilis, feminiſque ſub eiaculatione directionem mutet, uti in caſu diſruptionis perinaei & coniunctionis cavi vaginalis cum inteſtino recto, quam vir illuſtris notavit, fieri debet, vix ſterilitatem inducere poteſt.

§. XXI.

In *utero* non minus numeroſa valde generationis obſtacula deprehenduntur, quae mox conceptionem plane impoſſibilem, mox tantum difficilem & nonniſi caſu vel fortuito inſequentem faciunt.

Praecipua & maxime frequens vero ſedes ſterilitatis in *uteri cervice eius* & *orificio* deprehenditur; & quidem maxime, ſi *orificium*

(*a*) Vorleſungen über gerichtl. Arzneiw. Tom. I. cap. 16. pag. 276.

clauſum eſt; varia eiuſdem exempla apud auctores occurrunt (*a*). Malum vero vel a nativitate locum habuit (*b*), vel ex labiorum uteri laeſione, imprimis ſub partu difficili ex inepta manuum vel inſtrumentorum applicatione (*c*), unde orificii dilaceratio, ruptura, inflammatio, dein coalitio ſecutae ſunt, ortum habuit. Vario vero gradu coalita deprehenduntur labia, mox integre clauſa, mox ita concreta, ut ſtylo tamen tenuiori aditus pateat (*d*). In illo caſu ſterilitas abſoluta, in hoc frequentiſſima eſt, non tamen plane impoſſibilis, ſaepius vero diutiſſime latens, quia concubitus iuſtus, menſtruaque profluentia de ſterilitatis cauſſa ſuſpicionem non movent. Mo-

(*a*) Cf. inter alias recentiorem Ill. RICHTERI obſervationem, quam cum Regia Societate Goettingenſi anno 1780. communicavit, ubi per dexterrimam operationem malum hoc feliciter ſublatum eſt. Cf. HALLER loc. cit. T. I. p. 424.

(*b*) Coalitum orificium in infoecundis foeminis inter alios bis obſervavit PAULI Hiſt. morb. Uratiſlav. an. 1702. pag. 210.

(*c*) Ex forcipis Levretiani applicatione laeſi & dein creti orificii exemplum occurrit in *Schwediſche Abhandlungen* Tom. X. Conf. etiam FASELLI Elementa med. for. §. 19.

(*d*) Hinc MANNINGHAM Compend. loc. cit. pag. 51. inquit: os tincae in ſterilibus plerumque tenuius & arctius eſt, quam foecundis.

nendum hic eſt, in vetulis etiam & non amplius menſtuantibus orificium ſaepius ita anguſtari, ut leviſſimo tantum foraminulo pertuſum apparebat.

Idem effectus oriri debet, quando

Orificium uterinum obſtructum eſt, per hydatides hic praeternaturam generatas, vel ſic dicta ovula Nabothiana, aut per carneam excreſcentiam uteri cervici adhaerentem, qualis ſterilitatis cauſſa in valde laſciva foemina obſervata fuit (*a*).

Scirrhus etiam cervicem uteri ita afficere poteſt, ut apertura eius vel plane claudatur, vel tamen ita anguſtetur, ut vix ſtyli acies immitti poſſit, qualem HILDANUS (*b*) in foemina, quae bis nupta ſterilis manſerat, obſervavit, qui annuli inſtar orificium cingebat.

§. XXII.

Cervicis uteri praeternaturalis directio inter cauſſas ſterilitatis ex vitio genitalium om-

---

(*a*) M. N. C. Dec. I. ann. 2. obſ. 208. pag. 310.

(*b*) Obſerv. chirurg. Cent. I. obſ. 65. Similem in alia muliere vidit, ovi anſerini magnitudine ante orificium uteri ita locatum, ut omnem aditum verſus uterum praecluderet. Obſ. 66. erat hic effectus praegreſſae inflammationi in puerperio.

nium frequentiſſima eſt, quare non mirum HIPPOCRATE (*a*) iam obliquitatem colli uterini ut cauſſam infoecunditatis accuſaſſe, quando nempe uterus obliquus iacet, atque ita fundus ad anteriora, poſteriora vel ad latera vergit, cervicem ſimul cum orificio etiam in oppoſitam regionem ducit, in quo caſu os uteri diſtorſum ad parietes vaginae applicatum clauditur ſeminique ad locum debitum acceſſum denegat, utplurimum vero in hoc caſu orificium verſus ſymphyſin pubis dirigitur. Idem fieri debet, quando uterus retroverſus eſt, fundo depreſſo, collo elato, & tunc quidem eo certius ſterilitas producitur. Poteſt haec uteri obliquitas & inde ſequens orificii a naturali ſitu aberratio vel a prima conformatione, vel, quod ſaepius fit, ex variis aliis cauſſis oriri, uti a partium, quae uterum in ſitu retinent, relaxatione, a contractione vel potius concretione ligamenti lati, atque uteri appendicum cum partibus proximis in alterutro latere, ex tumore glandularum vel aliarum partium in hypogaſtrio aut pelvi ſitarum, ex inteſtinorum per canalem abdominalem aut cruralem vel foramen ovale deſcenſum, ex

(*a*) Lib. de ſterilitate Sect. V.

ſcybalorum in fine inteſtini colli accumulatione &c. quibus uterus ad alterutrum latus premitur ſitumque adeoque obliquum obtinet.

§. XXIII.

Ex eadem fere cauſſa foemina ſterilis fit, *quando portio vaginalis colli uteri nimiam habet longitudinem*, pendentiaque adſunt labia; tunc nempe in coitu glans penis altius in fundum vaginae immiſſa ad latus cervicis poſita labia oris comprimit, ſemenque in vaginae fundum retro os uteri fruſtra effuſum deperditur.

Orificium uteri nimis hians, ſecundum HIPPOCRATEM etiam ſterilitatis cauſſis adnumerandum eſt, quia, ita vult divus Senex, genituram non ſuſcipit, immo & receptam non retinet, ſed mox dimittit; videtur vero Hippocrates hypotheſi de ſpermatis utriuſque mixtione inductus in hanc ſententiam, quae hodie vix applauſum inveniet, incidiſſe, licet plane negari non poſſit, feminis aliquam in utero retentionem ad foecunditatem facere.

Reliquae quoque *uteri*, quippe primarii nempe & abſolute neceſſarii ad conceptionem organi, *affectiones praeternaturales* huc pertinent: nempe.

a. Quae

a. Quae cavum uteri replent, atque ita ſemini ad tubas, immo quandoque cervicem etiam obturando, ad uterum viam praecludunt, uti *polypi*, *molae*, *placentae fruſtula forte relicta* & *hydrops uteri*, qui probabiliter utplurimum nonniſi ex hydatidibus oritur; cuiuſcunque vero originis ſit, ſemper orificium praecludendo, cavum uteri replendo ſoecundationem non permittit, dein &

b. *Tumores* vel in ſubſtantia uteri ipſa, vel ſuper uterum haerentes, quae eundem circiter ac polypi effectum edunt, uti *ſarcomata*, *ſcirrhi*, *ſteatomata*, &c. haec ſcilicet parietes uteri ſibi apprimendo eiuſdem cavum claudunt; *ſcirrhus* una ex frequentioribus in utero ſterilitatis cauſſis eſſe videtur, unde Ill. VAN-SWIETEN *(a)* frequentes ſterilium foeminarum circa illud tempus, quo menſtrua fluere deſierunt, cancroſas uteri exulcerationis deducit.

c. Neque *Carcionomata uteri* hic reticenda ſunt, non ſolum ob iunctam utplurimum ſcirrhoſam affectionem, ſed & quia ovulum forte ex tubis ad uteri cavum delatum, uteri

(*a*) Commentar. Tom. I. §. 486.

parietibus adhaerere, & nutrimentum capere nequit, ichoris autem effuſi vi ſimul cum ipſo expellitur.

d. *Uteri prolapſus*, imprimis ſi completus eſt; incompletus coitum quidem non plane impoſſibilem, plus minus difficilem tamen, & doloroſum quandoque reddit. Ille vero coitum etiam impedit; in utroque vero caſu conceptio fieri raro poteſt, cum ſemen orificium non penetret, praecipue in prolapſu diuturniori, in quo ſimul uterus ab aëre frigido laeſus indureſcit, orificium occalleſcit.

e. *Inverſio uteri*, ſi unquam chronica adeſt, ſterilem facere debet foeminam, cum hic nequidem coitus fieri poſſit.

f. *Uteri herniam*, rariſſimum nempe morbum, ob valde diſtortum orificium infoecunditatem inducere facile patet; cervix enim a naturali via declinans ad vaginae latera appreſſa comprimitur, neque ſemen recipere poteſt.

Quando *uteri vaſa obſtructa*, *anguſta*, *obturata*, *impervia* ſunt, aut aegre dilatantur, iuſtum etiam ad ovum forte foecundatum nutrimentum ferri nequit: Hinc HIPPOCRATES (*a*) eas, quibus uterus denſus & frigidus

(*a*) Loc. cit. Sect. V. aphor. 62.

eſt, ſteriles pronuntiavit; per denſitatem vero, uti ex alio loco, nempe Sect. V. §. 59. apparet, vaſorum impermeabilitatem intellexit; his etiam menſtruae purgationes plane non vel admodum parcae & aquoſae prodeunt; interim in quibuſdam mulieribus ſic affectis, ſi viro nubent, per ſtimulum uterum nunc & genitalia obſidentem maior humorum copia maiori vi affluens obſtructiones quandoque reſerat, atque ita uterina vaſa diſponuntur, ut poſtea humores facilius tranſmittant; unde foeminas, quae menſtrua patiuntur irregularia, vel non fluentia, ob uteri vaſa difficulter dilatanda, per impraegnationem ſaepe ſanari experientia conſtat.

Huic quidem cauſſae a Medicis (*a*), imprimis iis, qui genitalium inveſtigationem negligunt, communiter ſterilitas adſcribi ſolet; & frequenter quidem iure, nam, ut foetus nutriatur, ſanguinis certa copia ad uterum non ſolum congeri, ſed &, ſi ovum utero non adhaeret, per vaſa uteri effluere debet, in gravidis vero ad placentam ferri oportet.

(*a*) Cf. inter alios FRID. HOFFMANN opp. T. III. Sect. I. cap. VI. §. 11.

Hinc & foeminae, quae ſerius matrimonium ineunt, poſt trigeſimum annum & ſerius, rarius foecundantur, quia earum uterus una cum ceteris genitalibus durior eſt, difficiliuſque debitum ad genitalia in coitu & graviditate ſanguinis affluxum permittit.

Non minus vero etiam conceptio impeditur per *magnam uterini ſyſtematis laxitatem*, ſi vaſa humores continere nequeunt, ſanguiſque aliqualiter congeſtus ob flacciditatem vaſorum mox effluit, quod quidem vitium poſt praegreſſas magnas haemorrhagias, & in iis, qui abortus frequentes olim paſſae ſunt, locum habere ſolet.

Quae denique reliquae ſunt uteri affectiones praeternaturales, *monſtroſa deformatio*, *ariditas*, *frigiditas nimia*, aut *humiditas*, aut *caliditas praeternaturalis*, *mala temperies*, *ſtructura cartilaginea*, *infarctio viſcida* &c. quae ab auctoribus (*a*) paſſim huc referuntur, ſterilitatem vario gradu inducere poſſe, ex antecedentibus iam ſatis apparet, quare, ne nimis longi ſimus, his cauſſis elucidandis ſuperſedemus.

(*a*) Cf. inter alios LOMMIUS obſ. med. libr. II. pag. 247. MANNINGHAM Compend. art. obſtetr. pag. 51.

§. XXIV.

Ultimo de *uteri defectu* dicendum erit, abſolutiſſimae quippe ſterilitatis, ut ſponte patet, cauſſa. Vitium hoc vel primae conformationis eſt, cuius paſſim exempla occurrunt, & inter Recentiores imprimis apud Cl. HENNEMANN (*a*) & MEYER (*b*), ubi cum utero ſimul vagina deficiebat, uterique loco cellulоſa ſtipata aderat, cum qua tubae & ovaria cohaerebant. Maxime vero ſingularis eſt obſervatio Cl. ENGEL, quam in diſſertatione ſua de utero deficiente Regiomonti 1781. deſcripſit, in qua uterus cum maxima parte vaginae deficiebat, ovaria vero & tubae aderant, ſed cum veſica cohaerebant, in cuius etiam parietem poſteriorem ſuper rectum tubae aperiebantur.

Violentiam etiam uterum ablatum eſſe exemplis conſtat; exciſum a rudi ruſtico SCHURIGIUS (*c*), & poſt partum ab imprudenti obſtetrice, poſt inverſionem extirpatum uterum nuper deſcripſit Ill. WRISBERG.

(*a*) Med. chirurg. Auffätze. Berlin 1778.
(*b*) Apud SCHMUCKERUM in vermiſchte Auffätze 2. Band. pag. 299.
(*c*) Embryologia S. VIII. cap. 6.

Cognoſcitur vero hoc vitium, ſi non per explorationem vulgarem opem digiti in vaginam introductionis, praecipue tamen per Catheteris in veſicam & digiti in inteſtinum rectum immiſſionem, ubi Catheter facile tangitur nilque inter rectum vel veſicam intereſſe apparet.

§. XXV.

Tubarum nunc ſequuntur affectiones, quae itidem inter ſterilitatis cauſſas non infimum obtinent locum. Harum vitia ad tres claſſes referri poſſunt:

a. Quando *praeternaturaliter clauſae* ſunt, ita ut ſemini viam ad ovaria denegent. Clauſura vero poteſt circa inſertionem in uterum vel & in eorum extremo abdominali locum habere. FRID. RUYSCH (*a*) in Sectionibus cadaverum hanc ſterilitatis cauſſam ſaepius ſe detexiſſe teſtatur, eamque harum partium levi inflammationi poſt partum difficilem aut abdominis morbos merito adſcribit (*b*).

(*a*) Cent. obſ. chirurg. obſ. 83. pag. 108.

(*b*) Licet huic contradicat MORGAGNI in Adverſ. anatom. I. pag. 40. quare & ASTRUC de morb. mulier. Tom. IV. ed. germ. pag. 211. hanc ſterilitatis cauſſam quandoque obſervari contendit.

Hydropicas quoque & inſtupendam molem a contentis aquis extenſas obſervarunt DU-VERNEY & HARDERUS (*a*), MORGA-GNI etiam contractus vidit (*b*) & MAN-GET (*c*).

b. Si *praeternaturaliter extremitates tubarum Fallopianarum cum aliis partibus coalitae ſunt*, quod imprimis cum ovario locum habere ſolet; tales frequentiſſimae in meretricum & laſcivarum cadaveribus occurrunt; quia ob concubitus repetitos continuatumque ſtimulum venereum a ſanguinis ad has partes perdurante affluxu in ſtatum quaſi inflammationis tranſeunt, unde facillime in eo ſitu, quem in coitu habere ſolent, ovaria nempe amplectentes concreſcunt. Orificium hic earum abdominale cum ovarii tunica externa intime cohaerere ſolet.

c. *Si tubarum canalis in aliquo loco perforatus eſt*, adeoque duplici foraminulo in peritonaei cavum patet. Praeternaturalem aperturam in ſic dicto antro *Roedereri* duplicesque ſimul in ſingulis tubis fimbrias obſervavimus; in hoc caſu vel ſeminis aura per ſuperfluum

X 4

(*a*) In Apiario n. 83.
(*b*) De cauſſis & ſedibus morbor.
(*c*) In theatro anatomico.

foramen fruſtra avolat, vel ovum tamen foecundatum ad uterum non deſcendit, ſed in cavum abdominis depluit; forte hoc ex conceptionis ventralis cauſſis una & quidem praecipua eſt.

d. Si *tubarum fimbriae varie diſtortae ſunt* & ab ovario aberrantes, vel minus convenienter conformatae, tunc in coitu tubarum oſtia ad ovaria non rite vel non tam diu applicantur, donec virtus activa ſeminis officio ſuo ſatisfecerit, ſeminiſque aura perditur. Idem ſequitur, ſi fimbriae in tubis deficiunt, quem caſum POUPART (*a*) annotavit; breviſſimae fimbriae & ut videtur, ad amplexum ovarii non ſufficientes ſaepius occurrunt.

§. XXVI.

In *ovariis* tandem conceptionis impedimentum ſedem habere poteſt; latens utplurimum, durante, vita cauſſa nec niſi poſt mortem ſectione cadaveris apparens; huc pertinent

1) *Eorum defectus*, quem a conformatione COLUMBUS (*b*), & quem violenta exciſione natum SCHURIG (*c*) notavit.

(*a*) In Hiſt. acad. reg. ſcient. Pariſ. an. 1699. p. 274.
(*b*) Apud MOLNAR diſſ. de ſterilitatis cauſſis p. 75.
(*c*) In Parthenologia de caſtratione virginum, Sect. III. cap. 8.

2) *Ovariorum hydrops*, in quo unum alterumve ovum utplurimum ingenter turget, cetera vero deſtructa ſunt, quandoque plura hydatoidea reperiuntur. Huc & referenda eſſe videntur humana ova illa a LEEUWENHOECK & DUVERNEY (*a*) obſervata, multo maiora, quam ut a tubis recipi poſſint.

3) *Steatomata* etiam, *concrementa cartilaginea*, *carnea*, *indurationes*, *tumores ſcirrhoſi*, variique alii in ovariis obſervata ſunt, quae ova vera compreſſerunt, deſtruxerunt, evaneſcere fecerunt, atque ita neceſſario incurabilem ſterilitatem induxerunt, quorum exempla Ill. HALLER (*b*) notavit.

4) Ovaria porro peccare poſſunt, ſi *cortice admodum duro vel carnoſo aut membrana calloſa obvoluta* ſunt, in quo caſu ovum per durum involucrum ſeminis auram foecundantem non recipere, ſaltem ipſum etiam foecundatum penetrare nequit.

5) Quo & pertinere videntur *cicatrices*, ovariis & ipſis ovis inhaerentes, in quibus LISTER (*c*) frequentem ſterilitatis cauſſam

---

(*a*) Zodiac. gall. Ann. II. M. Mart.
(*b*) Praelection. in inſtitut. BOERHAAVII ad §. *669*. not. gg. & ad §. *670*. not. b.
(*c*) In Tr. de fontibus medicamentor. Angl. apud MOLNAR loc. cit. pag. *76*.

ponit, an vero hae a variolis ovariis inſertis, ut Vir clariſſimus contendit, originem habeant, merito dubitatur.

6) *Ovarium nimia pinguedine* obſitum *aut craſſa & tenaci viſciditate* obductum eſſe poſſe, eamque ob cauſſam ad procreandam ſobolem ineptas reddere foeminas cum HERFELDO (*a*) vix affirmare audemus.

7) *Ovulorum* tandem in ovariis defectum aliqui accuſare audent, an vero unquam huius defectus in adultis exemplum fuerit, merito indeterminatum relinquimus.

§. XXVII.

Ab arteriarum & venarum ſpermaticarum defectu, qualem POUPART (*b*) obſervavit, qui vero rariſſime occurrit, conceptionem etiam impediri, per ſe patet.

De fiſſuris etiam ovariorum, aperturiſque ovulorum nimis parvis, quam ut animalculum ſpermaticum viri recipere poſſint, aliiſque ad hypotheſin de animalculis pertinentibus cauſſis (*c*)

(*a*) Cogit. de orig. morbor. §. 13. Apud SCHURIG. ſyllepſilogia pag. 175.

(*b*) Cf. Hiſt. acad. reg. ſcient. Pariſ. ann. 1699. pag. 7̄4.

(*c*) Quas inter alios ſatis prolixe recenſet ASTRUC de morb. mulier. T. IV. lib. III. cap. 6.

agere ſuperfluum ducimus, cum haec a recentioribus merito ad figmenta referantur.

§. XXVIII.

Ad hanc cauſſarum ſterilitatis claſſem referendae quoque ſunt illae, quae in *Viraginibus* & ſic dictis *Hermaphroditis* obtinent, quia & hic etiam cauſſa potiſſimum in partium genitalium vitio iacere ſolet.

Viragines vero dicuntur foeminae illae, quibus natura quidem dedit muliebria genitalia, quae vix & nonniſi uteri, imprimis eius cervicis duritie a naturali ſtatu aberrant, ſed quarum habitus, temperamentum, & cetera corporis ſtructura ad virilitatem magis accedunt; habent nempe thoracem plenum, compreſſum, latos humeres, vocem virilem gravem, fortem, corpus glandulare mammae exiguum, colorem cutis utplurimum fuſcum, immo labia & mentum quandoque barbata; animus praeterea virilis eſt, equos, venationem, ſtudia, ceteraque virorum delectamenta & labores amant, muliebres occupationes averſantur, a venere & venereis colloquiis abhorrent, matrimonium odio habent; menſtrua quoque ob uteri duritiem non, vel admodum exigua patiuntur.

Digitized by Google

Tales, etiamſi diverſis cauſſis inductae matrimonium ineant, tamen ſteriles manent, partim, quia ob indifferentiam erga ſexum potiorem, ſub coitu iuſtus & neceſſarius ad concipiendum ſtimulus & humorum congeſtio deficiunt, partim, quia, etiamſi conceperint, tamen uterus earum denſus & quandoque quaſi cartilagineus tantum ſanguinis recipere nequit, quantum ad nutriendum foetum congeri neceſſe eſt.

§. XXIX.

Hermaphroditae dicuntur, quarum genitalia vitioſa, monſtroſa, male conformata, dubia ſunt, atque ſpeciem externam mixtionis utriuſque ſexus habent. Fabulae nempe Veterum de hermaphroditis, qui ſexus utriuſque genitalia poſſident, quia hucuſque nullum certum exemplum innotuit, fidem non amplius inveniunt. In hominibus nempe, qui hermaphroditarum nomine etiam hodie inſigniri ſolent, una alterave genitalium pars alterius ſexus genitalibus aemula eſt; ita vero dicuntur *hermaphroditae viriles* ſ. *Androgyni* illi, qui virile membrum & teſtes, licet in abdomine forte adhuc latentes habent, ſed ſimul ſcrotum fiſſura diviſum rimamque aliquam patentem

vulvae aemulam poſſident. *Foeminae* ſ. *Androgynae* vero illae ſunt, quae vaginam & uterum ſed ſimul clitoridem praegrandem, virgae virilis ſpecie a natura obtinuerunt. Tales vero ob conformationem partium vitioſam, ut ex antecedentibus (*a*) apparet, rarius vel non concipiunt.

§. XXX.

Quae tandem ſuperſunt, ſingulares genitalium, rite ceterum conſtitutorum, affectiones morboſae, *fluxus* nempe *ſanguinei* & *mucoſi* non quidem coitum ſed impraegnationem impediunt, & ſterilitatis foeminarum ſunt frequentiſſime occurrentes cauſſae, nempe

Haemorrhagia ex utero chronica, ſtillicidium uteri, quae, ut notiſſimum eſt, ſteriles reddit foeminas, & quidem partim, quia ſemen virile cum ſanguine mixtum vim ſuam prolificantem exſerere nequit, partim quia ovum, etiamſi foecundatum eſt & in uterum deſcendit, mox tamen vi ſanguinis effuſi eluitur, neque utero adhaerere poteſt.

Menſtrua nimia immodica, valde larga, graviditatem etiam non permittunt, uterum

---

(*a*) §. de clitoride.

enim nimis humectant, relaxant; etiamſi forte foecundatum ovulum utero per aliquot poſt conceptionem dies adhaeſerit, tamen ſequenti periodo, menſtruis ob uteri plethoram non retentis levis uteri cum ovo nexus facile ſolvitur, prorumpunt menſtrua ovumque ſimul excutiunt; hinc HIPPOCRATES (a) iam recte ait, ſi mulier multos menſes dimittit, ſterilis ſit.

Menſium fluxus iuſto longus protractus ex eadem fere cauſſa ſterilitatem inducit. Dantur foeminae, quarum genitalia probe conformata ſunt, quae iuſtum ad concubitum ſtimulum ſentiunt, ſed quarum ſinguli menſium periodici fluxus per 14. dies & ultra durant, ita ut vix per aliquot dies inter menſtruos periodos a fluxu ſanguinis liberae ſint. Si & hae forte in menſium intervallo conceperint, tempus tamen nimis breve eſt, quam ut foecundatum ovum utero adhaerere vel ſaltem non tam intime cum ipſo coniungi poſſit, quin vi prorumpentium menſtruorum iterum expellatur.

In *Leucorrhoea*, ubi materia mucoſa quandoque puriformis, varie colorata ex utero &

(a) De ſterilitate Sectio IV.

genitalibus exſtillat, ſi larga eſt, itidem generatio impeditur, partim quia ſemen in coitu cum muco in uteri cavo & cervice accumulato iners confluit, partim, quia ovo etiam foecundato tamen copia non datur parietibus uteri adhaerendi, & etiamſi id quoque fortuito contigiſſet, tamen humores ad uterum confluentes non videntur eius naturae eſſe, ut nutrimentum conveniens ovo pariant, ut non memorem imminutum in his foeminis ad venerem ſtimulum.

Fluor hic *albus* ſi *venereus* aut malignus eſt, eo maiori gradu foecunditati obeſt, quo ſic dictum benignum malignitate ſuperat.

B. ALTERA nunc *cauſſarum ſterilitatis phyſicarum* CLASSIS ſequitur, quando nempe genitalia quidem naturaliter ſe habent, ratione conformatione & ſitus, ſed propter iuſtum ſanguinis & humorum ad uterum & genitalia affluxum ad conceptionem inepta ſunt.

Pertinent huc imprimis ſic dicta *ſterilitas temporaria*, etiam *naturalis* vel *congrua* vocata, illa nempe genitalium conditio, quando haec per aetatem ad generationem apta non ſunt, *quando foemina vel nimis tenera vel effaeta eſt*.

Foeminae impuberes non concipiunt, par-

tim quia organa generationi inſervientia nondum ſatis evoluta ſunt, neque membrum virile admittere poſſunt, partim ob deficientem humorum affluxum ad genitalia ovum neque maturum eſt, neque foecundatum nutriri poteſt. Interim difficulter determinatur, quanam aetate puella ad concipiendum apta fiat; notum eſt, in regionibus ſeptentrionalibus puellas demum circa annum 18--20, in meridionalibus iam decimo aut nono aetatis anno concipere poſſe. Foecunditas vulgo a menſibus primo fluentibus incipere creditur; videtur enim fluxus hic eam ob cauſſam foeminis certa aetate familiaris eſſe, eumque ſcopum habere, ut ſanguis ad uterum delatus durante graviditate foetum nutriat, adeoque generaliter recte ab abſentia menſtruorum ad defectum foecunditatis concluditur, licet hinc inde exemplum exſtet, puellam ante menſium eruptione concepiſſe. Narrationes enim de gentibus, inter quas foeminae nullum plane ſanguinis ex utero fluxum ſine foecunditatis obſtaculo pati ſoleant, hodie vix fidem inveniunt. Sed & haec periodus primae menſium eruptionis apud nos valde incerta eſt & diverſis circumſcribitur limitibus, ut igitur generaliter difficile ſit annum determinare, quo puella primum men-

ſtruetur & foecunda fiat. Nam vitae genus diverſum, clima, temperamentum, idioſyncraſia, habitus corporis, nutrimentum & inde pendens corporis incrementum, diverſum etiam profluvii tempus faciunt. Diaeta lauta, educatio libidinoſa, irritamenta varia, veneris repraeſentatio, librorum quales hodie a puellis avide pervolvi ſolent, lectione & colloquiis praemature excitata periodum hanc accelerant, & non raro praematuram reddunt; quare nobiles, & honoratiores, laute & laete viventes & apud nos anno quandoque duodecimo immo undecimo & decimo menſtruantur, cum e contra ex plebe, & ruſticae puellae utplurimum non ante decimum ſeptimum vel octavum aetatis annum nubiles fiant.

Effoetae ſ. foeminae, quibus ob aetatem nimis provectam menſes non amplius fluunt, ex communi naturae lege ſteriles ſunt. His enim praeterquamquod utplurimum frigidiores ad coitum ſint, uterus etiam durior ſufficientem ad foetus nutrimentum ſanguinem non admittit, quod utplurimum in noſtris regionibus circa annum quadrageſimum quintum, in meridionalibus vero circa trigeſimum quintum fieri ſolet, nam & haec periodus pro gentis, climatis, temperamenti, vitae generis

&c. diverſitate diverſa eſt, quare & apud nos exempla occurrunt foeminarum, quae ad annum quinquageſimum immo ſexageſimum uſque menſtruantur, hae interim rariſſime tamen ea periodo foecundae ſunt, quare exempla parturitionis poſt annum quinquageſimum rariſſime obſervantur.

§. XXXI.

Tandem ad ſterilitatem temporariam etiam referendum eſt tempus illud, quo mulieres infanti ubera praebent. *Foeminae* enim *lactantes* menſtrua pati non ſolent, ob humorum ad mammas maiorem, ad uterum vero denegatum affluxum, hinc rarius concipiunt, antequam hic fluxus menſtruus reſtitutus ſit.

§. XXXII.

II. *Cauſſae ſterilitatis, quae non tam in genitalibus, quam potius vel in aliis quibuſdam partibus, imprimis genitalium proximis, vel in reliquo corpore haerent.*

Cauſſae nempe variae etiam dantur, quae extra genitalia ſitae vel coitum, vel conceptionem & foetus nutritionem impediunt. Ad priores pertinent

Herniae magnae imprimis inguinales ut & crurales, vel & aliae; quae ob tumorem, quo introitum vaginae praecludunt, coitum non ſolum difficilem ſed & periculoſum reddunt, quamdiu non reponuntur.

Tumores glanduloſi, ſcirrhi aut alii in locis utero aut genitalibus vicinis, mole ſua uterum vel eius appendices aut vaginam comprimunt, eorumque functiones turbant.

Huc etiam *calculus* in veſica & varii inteſtini recti morbi referendi ſunt, imprimis ſupra iam notata a ſcybalis collectis recti extenſio ea, qua coitus impeditur.

Hypogaſtrium propendens in corpore valde obeſo cum viro obeſo coitum quoque difficilem reddit.

§. XXXIII.

Superſunt nunc, quoad cauſſas phyſicas illae, quae totum corpus afficiunt, nempe

1. *Obeſitas*, *&* *corporis craſſities*. HIPPOCRATES (*a*) iam foeminas, quae praeter naturam craſſae ſunt, ſteriles declaravit, quia in iis uteri os (quod GALENUS de uteri

(*a*) Aphor. 46. Sect. V.

ore interno intelligit) ab omento comprimitur. Itaque, inquit, gravidari donec extenuentur, nequeunt, & alio loco (*a*), omentum, ait, craſſius incumbens uteros comprimit, neque genituram ſuſcipere ſinit. Recentiores vero, quibus equidem HIPPOCRATIS obſervationem experientia ſaepius comprobavit (*b*), factum hoc ita explicant, quod per eximiam in omento pinguedinis molem abdominis viſcera comprimantur, adeoque ſanguis per aortae imprimis ad uterum liber deſcenſus impeditus genituram non admittat, quam vero explicationem vix ſufficere credimus.

2. *Gracilitas* etiam a quibuſdam (*c*) ſterilitatis cauſſis adnumeratur, quam ſententiam vero vix theoria & experientia comprobare videntur, niſi forte ex humorum inopia nutrimentique defectu gracilitas orta ſit.

Morbi graves, chronici & acuti, qui corpus debilitant, vires auferunt, humores

---

(*a*) De natura muliebri cap. XIX. Ed. Londin. T. II. pag. 372.

(*b*) Cf. inter alios MANNINGHAM Compend. art. obſtetr. pag. 52. Mulieres, quae intermiſſa paucos annos praegnatione, pinguiores fiunt, ſaepiſſime in poſterum non pariunt.

(*c*) Cf. VOGEL de cognoſc. & curandis morbis. §. 616.

Digitized by Google

conſumunt, nutritionem impediunt, amiſſorum reſtitutioni obſtant, & functiones genitalium turbant, ſteriles quoque reddere ſolent, & hic recenſeri merentur, licet quandoque foeminas tales, etiam ſummae debilitatis, tamen, aſt utplurimum ſummo cum vitae periculo concepiſſe, notum ſit.

Huc pertinent *Phthiſis*, *hydrops*, *dyſenteria*, *haemorrhagiae quaecunque nimiae*, imprimis *haemorrhoidum fluxus*, *excretiones* etiam ceterae, nimium ad inanitionem corporis uſque auctae, *cancer* imprimis *mammarum*, *paralyſes*, *paſſio hyſterica*, *cachexia*, *debilitas* in reconvaleſcentibus ex longo difficilique morbo, viribus nondum reſumptis, ſuperſtes, imprimis etiam ex partu laborioſo vel brevi temporis intervallo repetito, orta imbecillitas, unde non ſolum totum corpus, ſed & praecipue uteri robur imminutum eſt, maxime in foemina debilioris & tenerioris corporis ſtructurae. Ante omnia vero primum locum tenent *chloroſis* & quicunque alii *morbi*, *qui menſtrua vel ceſſare*, *vel irregulariter fluere faciunt*; veriſſimum enim eſt, quod HIPPOCRATES (*a*) iam annotavit, ſi mulieri omni-

(*a*) Lib. de ſterilitate Sect. VI.

no menſes non prodeunt, non concipit; licet enim, rariſſime tamen (*a*), foeminae dentur, quae menſtruorum expertes tamen concipiunt, haec exempla certe regulam generalem non tollunt.

Humorum porro *intemperies*, temperamentum imprimis *phlegmaticum* ad conceptionem ineptas reddere foeminas perhibent, quare iam HIPPOCRATES (*b*) eas, quae humidos habent uteros, ſteriles eſſe voluit, quia in ipſis genitura extinguitur, ob rubri & boni ſanguinis in genitalibus defectum.

Foeminae itidem dantur *frigidae*, tardae, inſenſiles, quae ad viri amplexum ne minimum quidem ſtimulum ſentiunt, & ſub coitu etiam inſenſiles manent, quae rarius concipere obſervantur, quia iuſtus ad genitalia humorum affluxus deficit.

Ita econtra aliae exiſtunt, quae *ſenſibilitate ſyſtematis nervoſi morboſa affectae* coitum non ſolum non iucundum, ſed adverſum & ingratum, immo quandoque dolentem & de-

---

(*a*) Exemplum nobis notum eſt foeminae, quae pluries peperit, neque unquam menſtrua paſſa eſt, niſi primis *poſt conceptionem* menſibus.

(*b*) Sect. V. aphor. 62. 63.

bilitantem experiuntur, quae precibus maritos ad abſtinentiam a concubitu movere tentant.

An *Idioſyncraſiam* & hic quandoque accuſare liceat, quia aliquando nullibi etiam in cadavere ſecto cauſſa aliqua detegenda fuit, aliis explicandum relinquo.

Tandem, ne ullam ſterilitatis cauſſam ab auctoribus indicatam praetermiſiſſe videamur, *fermentum* etiam *uterinum*, *archaeum laeſum & languidum*, *averſionemque concipiendi ſingularem* nominamus, quam poſtremam cauſſam b. STOLL (*a*) poſuit, atque eo explicare annifus fuit, quod „ natura, repetitis aut ſemel aut ſimul valde importunis „ fruſtrationibus enutriendi foetus affecta impoſterum etiam ſegnius, huiuſmodi ſcopo „ neceſſarias intentiones, directiones & induſtrias operationes aggredi ſuſcipiat, & his „ laboribus ſe ſubmittat ". Quo & pertinent ALBERTI MAGNI (*b*) figmenta, qui aſtra adivit, ſterilitatemque a tempore partus foeminae, quae ſub hoc vel illo ſigno, gemellorum, aut vigente ſaturno, nempe paedopha-

(*a*) Cf. STOLLII (Reſp. WIIHELMI) Diſſ. de de ſterilitate foeminarum §. XVII. XVIII.

(*b*) De ſecretis mulierum.

go, lucem primam conſpexit, deducere fruſtra tentavit.

§. XXXIV.

B. *De cauſſis ſterilitatis moralibus*.

Tranſeamus iam ad *cauſſas morales*, quae equidem vilipendendae non ſunt; animi nempe affectuum in generationis negotio efficaciam negare non licet.

Primum vero inter cauſſas morales locum tenet *animorum averſio*, & *diſcordia inter coniuges*, *odium*, *moroſitas atque contemtus*, quibus diverſiſſimae certae cauſſae tam morales, quam & phyſicae, uti deformitas corporis, immundities, foetor, morboſa affectio &c. anſam dare poſſunt; uti nempe deſiderati amores utplurimum foecundi ſunt, ita inviti ſaepiſſime ſteriles eſſe ſolent; hinc & HALLERUS (*a*) ſterilis coniugii cauſſam plerumque defectum veri inter coniuges amoris eſſe ſtatuit.

Ira quoque & *triſtitia* venerem reſtringere, animum avertere dicuntur, hinc etiam, ſi foemina, in tali adfectu compreſſionem viri

(*a*) Praelect. in inſtitut. BOERH. ad §. 694. not. m.

admittat, conceptio tamen difficilius contingit, quamobrem MERCURIALIS (*a*) foeminam etiam foecundam, tempore cohabitationis cum viro plorantem, prolis non reddi participem contendit.

Pudorem etiam, *anxietatem*, *terrorem*, immo *quaſcunque animi perturbationes vehementiores* libidinem ſuffocare, & a rebus venereis alienos eſſe vulgo ſtatuitur.

§. XXXV.

C. *De externis ſterilitatis cauſſis*.

Supereſt, ut iam de *cauſſis ſterilitatem efficientibus phyſicis externis* agamus, quae in foemina, quoad genitalia, bene conformata & foecunda conceptionem impediunt, & ſterilitatem inducunt. Huc pertinent generatim *rerum non naturalium abuſus*, nominatim vero ſequentia.

§. XXXVI.

1. *Frequentior cum viro congreſſus*; hinc meretrices, quae quaeſtum corpore exercent (in quibus tamen plures cauſſas concurrere

---

(*a*) De morbis mulierum lib. II. cap. 2.

Google

notandum eſt) & neonuptae, & quaecunque in venereis ludis exercitatae ſunt, non facile concipiunt, immo frequentiori certamine ſteriliſcunt; in his enim continuo maior ad uterum & genitalia humorum affluxus nimiam inducit laxitatem, qua nil retinetur, ſemper vero expellitur, tubae etiam, ut ſupra notatum eſt, cum ovariis concreſcunt, & diſtorquuntur, adeoque uſu privantur. Hinc HIPPOCRATES (*a*) monet mulieres, ut, ſi genituram ſe concepiſſe cognoverint, ad virum non amplius accedant, ſed quieſcant; immo MARSARIAS (*b*) aſſerere non dubitavit, mulieres, quo frequentiores coeant, eo eſſe ſteriliores.

§. XXXVII.

2. *Alimenta*; in quibus quidem primo *quantitas* conſiderari poteſt, quae, ſi *nimia* eſt, conceptioni obeſſe creditur, quare HIPPOCRATES (*c*) mulierem, cum ad virum accedat, a cibis abſtinere iuſſit; exceſſus enim ventriculum onerat, obeſitatem & quan-

(*a*) Lib. de ſterilitate Sect. XI.
(*b*) Praelect. de morb. mulier. de concept. & partu. Cap. VI.
(*c*) Lib. de ſterilibus §. XI.

doque ad venerem frigiditatem inducit; ſi *parca* nimis alimenta ex quacunque cauſſa aſſumuntur, extingui venerem notiſſimum eſt; dein quoad *qualitatem*, medici etiam volunt, aegre digeſtibilia, nimium refrigerantia, & acida, viſcidaque, nonniſi chylum crudum nutrimentumque ad prolificationem ineptum parere.

Ex *potulentis* imprimis ab HIPPOCRATE (*a*) durae, crudae ac frigidae & paluſtres aquae damnantur, quia oedemata & pituitam, hinc & menſtrua parca & inordinata cauſſantur, taleſque in ventre non concipere contendit.

Spirituoſorum dein quoque nimiam ingurgitationem conceptioni obeſſe experientia teſtatur, inde enim ſenſim ventriculi & concoctionis depravatio, chyli cruditas obſtructioneſque in viſceribus abdominis imprimis uteri oriuntur, & ſi etiam foemina conceperit, foetus tamen defectu alimenti moritur (*b*). Ebrioſam novimus foeminam, quae, antequam ſpirituoſis indulgeret, bis rite peperit, dein vero ſexies inſequentibus graviditatibus ſemper abortiit, ſexto aut ſeptimo menſe; cum nuper

(*a*) Lib. de aëre, aquis & loco §. V.

(*b*) Sterilitatem foeminae ab ebrietate recenſet V. RIEDLIN linear. med. ann. 1698. menſ. Iul. obſ. 93.

praemature ſeptimo menſe expulſus & paulo ante partum mortuus foetus examinaretur, ne guttula quidem rubri ſanguinis in infante neque in placenta & vaſis umbilicalibus, ſed liquidum tantum in quibuſdam vaſis aquoſum, in aliis album puriforme apparuit.

An *Fabarum coffe infuſum* vel decoctum generationis organis infeſtum ſit (*a*), diiudicare non audemus; ſteriles vix per ſe, ſed tardas forte ad coitum reddit; inducendo etiam nimio uſu laxitatem eo modo, quo *potus theae immodicus* nocere poteſt.

3. *Corporis immodica exercitatio* aeque ac *nimia quies* & otium ad ſterilitatem conferre vulgo creduntur. *Illa*, dum corpus debilitat, rigorem fibris inducit, menſtrua irregularia cauſſatur, rarius tamen nocet. *Otium* vero, *vita ſedentaria*, praecipue ſi victus ſimul lautus eſt, magis damnanda ſunt, quia ſe & excretiones impediunt, humoribus lentorem, ſpiſſitudinem, viſciditatem inducunt, corpus obeſum, torpidum reddunt & debilitant, non mirum hinc foeminas nobiliores, quae laute & otioſe vivunt, & delicatulae ſunt, ſteriles

(*a*) Quod ex teſtimonio AD. OLEARII Moſc. und Perſiſch. Reiſe. *1696*. Ed. fol. pag. 314. vix ſequi videtur.

Digitized by Google

ſaepe manere, cum e contra paupereulae, quae induſtriam & laborioſam ducunt vitam, foecundae ſint & copioſam producant prolem (*a*).

4. *Exceſſus in ſomno & vigiliis* eodem ſere modo, quo motus & quies nimii nocere videntur.

5. *Clima* quoque & regionis ſitum aëremque conceptioni quandoque obeſſe HIPPOCRATES (*b*) iam notavit, damnavitque imprimis locos paluſtres & lacuſtres, praecipue, quae ventis & ſoli non bene patent. Hinc a mutato aëre vitium hoc emendatum fuiſſe exemplis plurimis conſtat (*c*).

6. *Externa* genitalibus applicata varia *pharmaca*, ex adſtringentibus imprimis ſaturninis, alumine, lotiones nempe, balnea, iniectiones neſando ſcopo adminiſtrata & ſuffimigia genitalium a variis auctoribus ut ſterilitatem inducentia recenſentur.

7. *Medicamenta* etiam *interne* adhibita tam copia nocere poſſunt, annotante enim iam HIPPOCRATE (*d*) nimis & incongrue

(*a*) HIPPOCRATES de aëre &c. Sect. 48.

(*b*) De aëre, aquis &c. §. 3.

(*c*) Plura collegit PAULLINI in M. N. C. Dec. II. ann. 6. in app. pag. 76.

(*d*) De morbis mulier. lib. I. §. 27.

ingeſta foecunditati obſunt, quod imprimis de emmenagogis & quibuſcunque debilitantibus valet, quam & vim quandoque ſpecificam habere creduntur; huc imprimis referri ſolent:

Stupefacientia, narcotica, imprimis *opium*, quod venerem extinguere creditur, ſed orientalibus populis ad minimum viris, ſi fides penes peregrinatores eſt, contrarium effectum praeſtat.

Excitantia & ſanguinem exaeſtuantia ante coitum ſumta, imprimis *camphora*, quae & viros impotentes reddere quibuſdam viſa eſt, tam interne ſumta, quam externe corpori admota; ſed & hodie hoc medicamentum vix antaphrodiſiaca, certe ſaltem non ſpecifica vi agere notiſſimum & experientia comprobatum eſt (*a*).

An *purgantia* imprimis ſtatim poſt carnalem copulam ſumta ad ſemen vel conceptum expellendum per ſe aliquid faciant? de hoc merito dubitatur.

Quod *refrigerantia* imprimis *nitrum* & *acetum* venerem etiam exſtinguant, quemad-

---

(*a*) Quare & FRID. HOFFMANN (de uſu camphor. §. 10.) potius venerem excitare perſuaſus fuit.

modum calorem corporis minuant, uti variis (*a*) viſum fuit, vix veroſimile eſt.

Ita & cetera pharmaca, quae a Veteribus, PLINIO, DIOSCORIDE, AVICENNA, &c. animum ad venerem tollere & ſterilitatem inducere credita ſunt, uti *pſyllium*, *nymphaeam*, *pulegium*, *rutam*, *mentham*, *allium*, *coriandrum*, *ſemen viticis*, *ſolanum*, *nicotianam*, & plura alia amplius recenſere ſuperfluum videtur, cum his omnibus vim illam plane non inhaerere certiſſimum ſit.

Quare & *annuleta*, qualia ALBERTUS MAGNUS ad venerem prohibendam laudat, nempe lapides pretioſos varios, ſmaragdum, ſardonicum, ſapphirum &c. qui caſtas & pudicas reddere, & tempore coitus adpenſi impraegnationem impedire ipſi credebantur, verbulo tantum memoraſſe ſufficiat.

§. XXXVIII.

Ex antecedentibus ſimul apparet, quid de *poculis ſterilitatis* ſentiendum ſit; vera enim veneficia & philtra, quae ſterilitatem vi ſpecifica producant, ex ſingulari Provi-

(*a*) TIMAEUS A GULDENKLEE opp. med. pract. Lib. III.

dentiae erga humanum genus benignitate, non dantur.

§. XXXIX.

Faſcinum etiam & *incantationes* hominum malorum vel ſic dicta *maleficia* hodie non metuimus. Qui nempe a veteribus, etiam medicis, ad ſteriles reddendos neo-nuptos, facere credebantur, nodi in filo vel in veſtibus neo-ſponſorum tempore nuptiarum facti, cultri averſi vel parieti infixi & ſimiles nugae hodie in aevi noſtri laudem abſoleverunt.

§. XL.

Ultimo tandem monendum eſt, plures certe, ſed inexplicabiles quandoque dari ſterilitatis cauſſas, quod mirum equidem nemini videri poteſt, cum totum generationis negotium tam intricatum multiſque tenebris obvolutum ſit.

Ex iam enarratis ſterilitatis cauſſis ſatis apparet, eaſdem non einſdem eſſe in impediendа foecunditate potentiae; earum enim aliae foeminae abſolutam ſterilitatem conciliant, aliae foecundationem tantum difficilem reddunt; ita & quaedam coitum tantum, aliae non coitum quidem, ſed conceptionem impediunt.

§. XLI.

Hinc probe cavendum eſt, ne in caſu imprimis medico-forenſi medicus incautum & imprudens de ſterilitate ferat iudicium. Variae enim cauſſarum, quas recenſuimus, tales ſunt, ut conceptionem non plane impediant, ſed ſub certis circumſtantiis admittant; ita ex. gr. exemplum nobis innotuit foeminae, quae nunquam menſtrua paſſa, (erat vero ad phthiſin, ex qua etiam quadragenaria obiit, a iuventute diſpoſita, ſterilis videbatur, ſed viro nupta gravida tamen facta, plurium dein infantum mater evaſit; quod vero imprimis memorandum eſt, menſtrua poſt conceptionem primis tribus vel quatuor menſibus fluxerunt, idemque in ſingulis graviditatibus factum eſt.

§. XLII.

Neque minus ubi tales cauſſae adſunt, quae primo intuitu abſolutam inducere ſterilitatem videntur, uti atreſia, foeminam tamen concepiſſe, non valde rara proſtant exempla. Ita non ſolum in imperforatione ſpuria per parvum foraminulum foeminam impraegnatam legimus (*a*), ubi praeternaturalis ante orificium

(*a*) Cf. inter alios Cl. WALTER loc. cit. p. 11.

vaginae ex vulnere eiuſdem membrana orta erat, ſed & in plenaria atreſia naturam alias ad uterum vias aperuiſſe exemplis conſtat, quale imprimis illud memorabile eſt, quod Cl. LOUIS (*a*) de mulibr. diſpoſitione) notavit, ubi vagina anterius per membranam clauſa in inteſtinum rectum patebat, per quod foemina impraegnabatur; alia exempla vero, ne nimis longi ſimus, praetereunda ſunt.

§. XLIII.

Multo vero facilius, ut facile patet, conceptio in foemina accidere poteſt, quae ex. gr. ob uteri perverſum ſitum vel cervicis ineptam directionem ſterilis videtur, quae cauſſa quandoque inopinato per accidentaliter ſub coitu mutatum ſitum tollitur.

Reliquum eſt, ut *de diviſione ſterilitatis* agamus. Diſtingui nempe ſolet:

Primo inter *temporariam* & *perpetuam*.

Perpetua ſ. conſtans eſt, quae foeminam ſemper & omni tempore infoecundam reddit.

Temporaria, quae pro tempore tantum foeminam ſterilem facit. Haec ſub certis con-

(*a*) Plura atretarum, quae conceperunt, exempla citata leguntur in HALLERI Vorleſungen pag. 425. not. y. & M. N. C. Dec. I. pag. 223. E. El. Phyſ. Tom. VIII. l.b. 29. V. SWIETEN Cent. IV. pag. 533.

ditionibus tantum adeſt, quae removeri poſſunt; ita ex. gr. lactans aut morbo acuto gravi & chronico detenta tam diu ſterilis eſt, quamdiu in eo ſtatu remanet. Multa enim exempla habentur, foeminas per plures annos ſpe matrimoniali excidiſſe, dein vero ſubito prolem concepiſſe.

Secundo ſterilitas eſt

Vel *ſtricta*, quae ſub quacunque conditione poſita ſemper manet, ubi nempe omni tempore, omni loco & omni modo vel venus friget vel ſine ſucceſſu concubitus celebratur.

Et *reſpectiva* quando foemina reſpectu huius vel illius viri ſterilis manet, cum alio vero coeuns gravidatur, haec utplurimum contingit ex partium genitalium diſproportione, vel & nimia aetatis, conſtitutiones corporis aut virium inter coniuges diſparitate, abſque ullo abſoluto foeminae vitio. Plurima equidem talis coniugii ſterilis in ſcriptis medicis exſtant exempla.

Tertio diſcernitur inter *connatam* & *acquiſitam*.

Connata dicitur, ſi generationis impedimenta a parentibus habentur, morbique chronici haereditate translati aut debilitas corporis, aut alium vitium organicum in genitalibus foeminam ſterilem reddunt.

Acquiſita vocatur, quam foemina poſt partum ſibi contraxit.

Quarto etiam diſtinguitur inter ſterilitatem *unilateralem* & *bilateralem*, prout nempe tubae vel ovaria in uno vel utroque latere peccant, quae differentia vero magis congrue ad viros applicanda, in praxi ſaltem, cum nonniſi poſt mortem cognoſci ſoleat, vix ullius uſus eſt.

Quinto tandem ſterilitas eſt

Vel *naturalis* ſ. *congrua*, ubi nempe per aetatem vel naturalem foeminae conditionem, ex. gr. lactationem vel menſtruationem ad conceptionem ineptae ſunt mulieres.

Vel *praeternaturalis* ſ. non congrua, vocatur ille ſtatus, quando ex vitio organorum generationis vel ex conſtitutione quadam corporis praeternaturali propagatio impeditur.

His Veteres iungebant

Supranaturalem, quae nempe faſcino ſ. maleficio induci credebatur.

Alii etiam dividunt ſterilitatem

In *naturalem*, quae fundamentum in vitio conformationis vel corporis nativa conſtitutione ad generationem non apta habere dicitur.

Et *accidentalem*, quae caſu accidit, facile detegitur & ſanabilis eſt.

ORATIO ACADEMICA

DE

MEDICIS PEREGRINATIONIBUS

QUAM

Die 15. Iunii 1792. publice recitavit

IOANNES PETRUS FRANK

Reg. & Apoſt. Maieſt. a Conſiliis Magiſtratus Politici & Oeconom. Mediolan., facultatis Medicae ac Noſocomiorum per Inſubriam Auſtr. Praeſes, Xenodochii Papienſ ad S. Math. moderator, Therapiae Spec. & Clinices in Ticinenſi Academia Profeſſor P. & O. Academiar. Reg. Scientiar. Goetting. Mantuanae, & Elect. Mogunt. tum Societ. Patriot. Mediol. & Medic. Helvet. Sodalis.

Digitized by Google

DE

MEDICIS PEREGRINATIONIBUS

ORATIO ACADEMICA.

QUæ majores Scientiarum apud ſtudioſam juventutem progreſſus ac medicæ artis incrementa concernunt, RECTOR MAGNIFICE, PATRES SAPIENTISSIMI, COMMILITONES ORNATISSIMI! ea, ſicut potiſſimum academicæ diſquiſitionis argumentum conſtituunt; ita materiam campo vaſtiſſimo diſperſam, nec ubique pro dignitate ſua elaboratam nobis exhibent: cujus ego particulam, utilitate magis, quam rerum dicendarum ſplendore commendabilem, coram ampliſſimo hoc Conſeſſu dilucidandam mihi hodie aſſumo. Dicam vero *de medicis peregrinationibus*, quas, ut majorem in Arte, quam profitentur, perfectionem adipiſcantur *Æſculapii* ſequaces; in diverſas ac medendi peritia celebriores provincias ſuſcipiunt; atque ita in illis verſabor: ut bonos non minus, quam infauſtos peregrinationis effectus, ac denique rationem, qua templum

Apollinis apud Exteros cuique adeundum ſit; breviſſime exponam.

Græciæ quondam *Sapientes*, ut ex legum tam divinarum, quam civilium, ac omnis ſcientiæ antiquioris fonte haurirent, divitem myſteriis Ægyptum per annos petierunt, & quæ ſibi, quæ Reipublicæ, quæ generi humano profutura credebant, ea *Philoſophorum Pontificum* ex ore, atque diuturna cum *Populo Theologo* communione adnotarunt. Nec dubium ſupereſſe poteſt, quamplurimas Græcorum de Medicina notiones huic intimiori Legiſlatorum Vatumque cum *Ægypto* literarum commercio deberi. Ipſe Medicinæ parens *Hippocrates*, magni, quod exſtruxit ædificii fundamenta, non uno ex loco; ſed ex diverſis, quas ſedulo peragravit, *Macedoniæ*, *Thraciæ*, *Theſaliæ*, aliiſque Provinciis, indefeſſus congeſſit; atque potiſſimorum illius regionis Medicorum ſcripta abunde docent: eoſdem, ut propriam aliena experientia ditarent ſcientiam, peregrinationibus non paucis, & Exterorum colloquio Sapientum frequenter indulſiſſe.

Tranſvectis ex *Græcia* in *Italiam* artibus ac ſcientiis, quicunque ex cæteris Nationibus, bellorum magis furore, quam literarum gloria ſuperbis, medicinam doceri cupiebat; opportuit

hunc aut faventem ingeniis regionem adire; aut ab accerſito ex *Italia* ſalutaris ſcientiæ magiſtro in patria erudiri. Hinc naſcentes in *Gallia*, & *Germania* Academiæ, — hinc Regum, Principumque exterorum Aulæ præcipuos hac ex gente *Lectores* ac *Archiatros* repetebant; & qua, *græco* fœcunda ſemine, fertiliſſima mater jam prole abundabat: hanc in cæteras nunc Europæ Provincias emigrari, aut Exterorum, Italiam petentium inſtitutioni præficere cernebatur: ſic ut primi Septentrionalium populorum in Medicina Magiſtri aut *Salernitanæ* jam Scholæ, aut, recentioribus ævis, *Patavini*, ac *Bononienſis* Academiæ ſe filios appellari ambirent.

Atqui, dicet aliquis, hæc magis ex domeſticæ diſciplinæ penuria, quam ex doctæ peregrinationis cupidine, ſuſcipiebantur Medicorum itinera .... & revera vel ipſos inter *Græcos* tam rara diſcendæ artis fuere ſubſidia: ut *Galenus*, qui artis ampliandæ intentione *Ciliciam*, *Cretam*, *Cyprum*, *Lemnum*, *Celoſiriam* peragravit, humani Sceleti permotus intuendi deſiderio, *Alexandriam*, qua ſola in Urbe ſcientiis florente tam ſacras mortalibus reliquias ſepulturæ aut flammis ereptas cuſtodire audebant, debuerit adire. Fateamur etiam, quod ante ty-

pographicæ artis inventum, Virorum apud Exteros cum laude Medicinam docentium effata difficilius longe ad tam magnas locorum diſtantias, ſat fido tranſcripta calamo, pervenire potuerint; & quod ipſa hæc multorum celebritas, creſcente ſub itinere fama, ad confines Provincias eo magis reſonaret; qua minor tunc oraculi ex editis circa res medicas operibus dijudicandi apud omnes erat facilitas.

Sed præterquod nunquam fere major diſcentium ex ſingulis Europæ angulis *Italiam* adeuntium confluxus obſervabatur, quam quo plurimorum nunc Medicinam his in terris tradentium opera typis undique prodire, ac *Italiæ* ſuper alias, tunc ex barbarie ſua vix excitatas nationes eminentia divulgari magis inciperent; præter hæc, inquam, circa illos minus, qui ob addiſcendam Medicinæ theoriam, — quam qui majoris perfectionis in ipſo artis exercitio quærendæ amore, patriam liquerunt, hodiernæ Orationis argumentum verſatur.

Atqui cum doctæ ardorem peregrinationis quamplurium tunc animos invaſiſſe perhibemus; non tamen ſine alio hæc apud omnes facta eſſe impulſu contendimus; ſed invaluerat jam tunc temporis apud multos opinio: ac ſi, qui ob ſtudii rationem inter exteras nationes

aliquamdiu commoratus eſſet; uberiorem hic in ſcientiis præ alio ſegetem colligere, ac majorem ſibi contubernalium, in patriam redux, fiduciam mereri potuiſſet. Inter ipſos adeo artifices opificeſque lex erat, ad noſtra uſque tempora per univerſam *Germaniam* conſervata: qua quiſque ex illis, licet patria domeſticæ inſtitutionis commodo jam undique redundaret, per *triennium* apud exteros verſari, ac in artis exercitio erudiri cogebatur. Ipſa hinc populorum de peregrinationum doctrinæ ſcopo ſuſceptarum utilitate perſuaſio antiqua non paucos induxit: ut abſoluto inter ſuos Medicinæ ſtudio, in diſſitas mox regiones proficiſci, & illinc de meliori civium ſuorum de ſe ipſis opinione competere ſtuduerint: quod quidem argumenti genus, ſicut veritatis quamplurimum in ſe habere videtur; ita non inutilem omnino quæſtionem nobis ſuggerit: quid nempe boni, quid mali hac ex generali opinione, & ex naturali juvenum medicorum peregrinas provincias ob doctrinam percurrendi propenſione Reſpublica poſſit ac debeat expectare?

Quod vero ad bonos medicæ peregrinationis effectus ſpectat, cum nemo ſit, qui de iiſdem dubitandum eſſe ſerio contendat; pauca mihi ſuper illis, quæ receptam jam diu opi-

Digitized by Google

nionem confirmare, ac Medicorum animos ad doctas excurſiones excitare mihi apta videntur, dicenda hic erunt. Eſt vero cuivis fere non rudiori homini innatum quaſi deſiderium: quo ſolum, in quo nati ſumus, ac per longam pueritiam vegetavimus, cum alio commutare, nova oculis objecta quotidie offerre, animumque rerum cuivis telluri propriarum contemplatione recreare anhelamus. Quæ ſcilicet hominem, non unius modo terrarum plagæ, ſed orbis univerſi civem eſſe voluit natura; hæc ad totius nos tam amplæ habitationis inveſtigationem, & ad ineunda cum diſſitis inter ſe populis amicitiæ commercia continuo exſtimulat; nec melius unquam remedium ſtultæ illius, ſed rudiori etiam cuivis populo communis de propriæ Tribus ſuper omnes alias in omnibus eminentia gloriantis ſuperbiæ, — nec potentius irrationalis illius, atque canini prorſus odii, quo gentes peregrinæ ſe mutuo allatrant, antidotum potuit ſuggerere.

Sed hæc ad quamvis, nec ad *medicam* potius, quam ad aliam, cujus nunc mihi laudes non incumbunt, *peregrinationem* ſpectant beneficia. Quod ſi tamen iſtorum quoque participem fieri ſub quovis ſpeciali itinerum fine conceſſum ſit; hac certe propria ſibi inter cœ-

teras prærogativa Medicorum peregrinationes incedunt: quod ab his, cum ars aut longior, aut difficilior, quam quæ læſæ hominum ſaluti proſpicit, non detur; nec unius, brevioris nempe vitæ hominis in eadem ſufficiat experientia; multorum in arte medendi verſatiſſimorum facta virorum pauco temporis ſpatio, unico quaſi intuitu ſub oculis ponantur; ac morborum innumerabilium, tam natura ſua diverſiſſimorum, quam huic, vel illi provinciæ propriorum, fidelis ac indelebilis memoriæ imprimatur imago. Quod ſi quis objiciat: hæc poſſe libris non minus & academicis prælectionibus, quam diſpendio plenis peregrinationibus, obtineri; precor hunc, ut ipſemet greſſus ſuos in diverſas inter ſe regiones, maximaſque *Europæ* in urbes dirigat, viroſque hic adeat, quorum ſcripta *abſentium* a multis approbari, nova remedia, experimenta, factas, ut referunt, morborum curas ad cœlum uſque extolli audiverit; videbitque in multis eorum, aut ignotum, aut civium fiducia deſtitutum in loco, quo vegetat, hominem; aut primis adeo medicinæ principiis egenum agyrtam ac alienis pennis volitantem aciculam; aut mendacem in omnibus animoque vilem Scriptorem: ad quem *inventionis* alia, niſi quod *hanc ipſam invenerit*,

gloria non pertinet. Videbit mox alios, qui patriæ cari, apud Exteros nequidquam inclaruere viros: ac inſignem eorumdem peritiam, profundam ſapientiam, modeſtiam, ac ſingularem in diſcendi cupidos adoleſcentes humanitatem admirabitur. Paucos ubique conſpiciet, quorum ſcripta non minus, quam facta, non a fama modo non ſuperantur; ſed, ut rectum de illis judicium ferri, ac medicarum excellentia virtutum in iisdem dignoſci queat, propius obſervari, atque ipſimet quaſi legi ac ſtuderi merentur. Atqui ſi falſam quis primorum, quos peregrinando ſic adiverit, Scriptorum lucem, ac errorem, in quo Exteri circa hos ipſos verſantur, vicinius diſtinguat; videbit hic utique, cur ſæpe tam parvi ex diurna nocturnaque librorum lectione in arte profectus, — cur tantarum non raro a novis remediis noxarum ex his ipſis occaſio, hauriantur; *cautuſque* (quod non parvi in Medicina ex peregrinatione lucri eſſe exiſtimo) in patriam, – nec ſeſquipedalium amplius verborum ambagine ſeducendus redibit. Ex melioris vero notæ Virorum tam diverſas apud gentes commercio, quod ipſum jam honoris plenum eſſe quivis concedet, non hypotheticas, quibus parva ubique ingenia gloriantur, nugas; — non deſpotica eloquentis modo

ac in ſolum Patriæ communis honorem prædilecti Scriptoris aut *Dictatoris medici* decreta, — non præconceptas, a quibus nec integræ quidem Nationes immunitate gaudent, in arte opiniones, ac methodos erroneas, per antiquam, ut ajunt, *traditionem* ſacratas; ſed veritatum practicarum, ſolius *apud omnes* experientiæ auctoritate confirmatarum theſauros, — ſed rerum, quæ libris minime conſignari queunt, ac ſola cum expertis Viris circa lectulos ægrotantium ſocietate obtinentur, cumulum coadunabit. Quod ſi nempe vel ſolus prudentum quorundam virorum de re eadem conſenſus jam tantæ auctoritatis eſſe cenſeatur; non major forte certitudinis gradus a communi Populorum circa hanc ipſam perſuaſione, & unanimi experientiæ voce expectandus foret? Nec enim unius quaſi provinciæ ſcientia Medicina aut Chirurgia eſt; ſed, quæ tot ante ſæcula *Hippocrati* ac *Græciæ*; — hæc una eademque facie cuivis gentium affulſit veritas; nec aliam diverſa populorum poſitio, vivendi habitus ac natura, quam alia atque alia *temperamentorum*, ut vocant, in civibus unius ejuſdemque regionis conſtitutio, differentiam inducit: ut, quidcunque de *medicinæ* practicæ diverſas apud gentes *neceſſaria diverſitate* dictum fuit; hoc vel

ſub paucis modo, ac ubique locorum facile occurrentibus rerum circumſtantiis, veritati innitatur; vel ad medicorum inquilinorum, Exteros ab artis apud ſuos exercitio arcentium, nugas pertineat. Quam ego viginti ſex abhinc annis *Lotharingiæ* populis, — quam in *Badenſi*, in *Spirenſi*, non diſtantibus quidem inter ſe provinciis; — hanc quoque in Septentrionali magis agro *Goettingenſi*, ac in oppoſita huic ipſi demum *Italia* medicinam feci; nec minorem ubique *temperamentorum* cum temperamentis, quam *morborum* nationis unius, cum morbis alterius, differentiam detexi. Erunt quidem plures ſub hoc, quam alio ſub cœlo, qui fibra magis irritabili, aut nervo ſenſibiliori, — aut qui temperamento hoc, quam alio, a natura inſtructi ſunt; communiores illinc inflammatoriæ affectiones, hic ſcorbutus, ac hydrops, ac calculi exiſtent; ſed nullibi aut temperamentum hoc, vel illud, in omnibus deeſt; nullibi Arthritis, Arthritis non erit; ac quæ peripneumoniam in Europa ſanat; hæc eandem in omnibus peripneumoniam ſanabit methodus: quæ ſingula, ſicut eximium de ſcientiæ ſalutaris veritate teſtimonium largiuntur; ſic & de conſenſus, vel diſſenſus Populorum in medicis auctoritate, ac de peregrinationum, quibus hanc ipſam,

ipſam, atque inſignem naturæ in omnibus concordiam docemur, utilitate abunde loquuntur.

Non tamen ob ea, quæ in medicæ peregrinationis laudem hucuſque dicta ſunt, illius pro temporum, quibus nunc vivimus, conſtitutione neceſſitatem adeo defenderim: ut non & ſine hoc ſcientiæ ſubſidio, ad magnum perfectionis medicæ faſtigium pervenire queamus; & ut non infelices interdum ex peregrinationibus effectus in Rempublicam redundent. Quæcunque nempe ex frequentiori populorum inter ſe commercio in humanitatem ac in ſcientias derivata dicantur commoda; fateamur tamen oportet, majorum longe vitiorum, quam virtutum cuivis nationi propriarum ſegetem a peregrinationibus patriæ quotannis inferri; & quam promiſcua gentium diverſiſſimarum conſortia in quavis nunc provincia induxerunt *communionem morborum*; hanc morum peregrino contagio corruptorum fere ſuperat infectio: ita ut, quæ pridem nationes charactere tum phyſico, tum morali ſibi proprio a finitimis diſtinguebantur; hæ, ammiſſo fere in integrum avito ingenio, ſapientiæ minus, quam ineptiatum vitiorumque connubio quotidie nunc magis magiſque inter ſe confundi, ac in peregrinas rapi ſtultitias cernantur.

Sed *medicæ* potius, quam alterius *peregrinationis* effectus contrarios a bonis ſeparemus! Atqui cum, ob præconceptam Populorum de inſigni profectionum in medicis utilitate opinionem, pars magna illorum, qui exteras regiones percurrunt, id ipſum, potius ut huic opinioni ſatisfeciſſe videantur; quamquod reapſe ad ſcientiarum cum Exteris commercium aſpirent, aggrediantur; hinc vix ſuorum ſe oculis ſubtraxerunt immaturi ac voluptatum illecebris irretiti juvenes: cum depoſito, quam *ſeverus morum medicique decoris judex Patria*, domi impoſuiſſet, verecundia; non temporis modo irrevocabilem apud Exteros jacturam faciunt; ſed & in quodvis vitiorum genus, exempli alieni torrente abrepti, præcipitantur. Quod ſi vero hoc ipſum de quovis adoleſcente, freno paterno apud Exteros abjecto dici queat; fateamur tamen, in ipſo Medicinæ rerumque naturalium ſtudio libertatis ac ſtimuli non parum latere: quo, niſi ab honeſto ac maturo ſatis ingenio pertractetur; proclivis in voluptates ac promptus in incendia juvenilis animus in conſueta huic ætati vitia facilius aberrat, ac ſepoſito morborum, qui majorem cum ſexu ſequiori conſuetudinem offerunt, ſtudio, cuivis cum viris ſapientibus valedicit ſcientiarum commercio.

Sed cum ætatem, qua plures docta hæc itinera ingrediuntur, contempler; teneriores videre plantas mihi videor, quæ lacteſcentes adhuc, & ſuo vix ſemine excluſæ, meridiani jam ſyderis radiis incaute exponuntur; ac ſub iiſdem aut radicem non figunt, & ſolis ante occaſum areſcunt; aut in caulem longiſſimum, ſed inermem, inſipidum, ac flore fructuve carentem immaturæ coguntur. Vix prima ſcientiæ difficilioris rudimenta hauſit adoleſcentulus: cum jam majores, quam tenera ferat ætas, incitatur ad auſus, ac fructus decerpere jubetur, qui vel altiori ab arbore pendent; vel a teneriori ſtomacho præparari, ac in chylum nutrientem converti non queunt. Quid nempe vix primis ſalutiferæ artis myſteriis initiati tirones Exterorum a brevi commercio lucri capturi ſunt, qui, communiorem in arte medendi viam necdum ingreſſi, nec novas ac inauditas prius methodos æqua bilance cum antiquis comparare, Virorum in arte celebriorum colloquio prudendenter uti, nec de ſuis, aliquid interrogantibus, quod captandæ par ſit benevolentiæ, offerre, atque cultioris fertilitatem ingenii oſtendere queant. Qui extremas objectorum lineas telis nec inferre, nec umbras a luce diſtinguere poſſunt; illine ex ephemero cum celebriori picto-

re commercio utilitatem trahere, ac quod in arte *ſublime* eſt, idipſum ex eodem haurire queunt? Nonne ex hoc tam præpoſtero apud juniores, nec firmis ſatis theoriæ principiis inſtructos medicos peregrinandi conamine, & ex tam communi arcana, exoticaſque methodos venandi conſuetudine, veræ decrementum doctrinæ, ac hodierna plurimorum ad empiricas curationes inclinatio repetenda Vobis eſſe videntur? Expertiſſimi quidem in arte *hippocratica* Viri ſub arduis morborum conditionibus, atque dum recepta in illis methodus cum ſucceſſu adminiſtrari haud poteſt, apud quaſvis demum gentes a communi ſubinde via declinant, & ad heroica interdum, vel empirica etiam remedia confugiunt. Hæc vident atque obſtupeſcunt inexperti, ac in tractandis tam acutis medicinæ armis non ſatis verſati juvenes: & in patriam reduces, ut peregrinationis fructum oſtendant, quos communi remedio, vel duce natura, in vita ſervare potuiſſent; hos *angla*, vel quacumque demum *peregrina*, non ſatis intellecta methodo non raro miſerime jugulant. Sui certe nunc Medicinæ, ut mulieribus ad elegantiorum venuſtum morem comptis, novi & peregrini ſunt ritus, ac ſingularis a vetuſtis, & quæ patrum virtus confirmavit remediis aver-

ſatio: ut, quo longius a communi tramite in medendo recedant; eo ſe doctiores, ac celebrioribus peregrinæ regionis medicis conſimiles magis fore exiſtiment, ac grallatorio gradu circa lectulos perpetuo verſantes, ad quodcunque novitatem non olens, aut domeſticum auxilium ſupercilia adducunt. Morborum, quos abſoluto Medicinæ ſtudio præ aliis attentius obſervari intereſt, *popularium* cognitio, non celeri in diverſas provincias curſu; ſed protracto in longum tempus labore, animoque in ſingula intento obtinetur. Ab his ſcilicet practicæ nos ſtudium Medicinæ, ſub experti auſpiciis viri, ordiamur oportet, priuſquam ad rariorum exempla morborum, quæ mentem difficilioribus necdum aſſuetam apud plurimos confundunt, præmaturo conſilio abeamus. Qui vero artis tam magnæ exercitium præcipiti peregrinatione, ac brevi cum Exteris commercio abſolvere contendunt: hi, præter illud, quod in rariores morborum caſus oculos præcipue convertant, annuæque conſtitutiones in morbos quoſcunque auctoritatem prætermittant; ex tam contrariis inter ſe, apud diverſas nationes in medendo rationibus, firmioribus necdum principiis innixi, ex una in alteram rapiuntur methodum; ac ſibi ipſis tandem apud ſuos commiſſi, in levioris etiam

morbi curatione greſſibus vacillant, aut placido in rivo balænas piſcantur.

Supereſt mihi, AUDITORES ORNATISSIMI, ut qua ratione infauſtos peregrinationum medicarum effectus evitare, dignos vero, operis, diſpendio ac labore pleni, fructus obtinere liceat, paucioribus exponam.

Principalem igitur itineris medicæ artis gratia ſuſcepti ſcopum ac finem hic examinari prius oportet. Vel enim ad excolendam Theoreticæ Medicinæ partem aliquam, — vel ad ipſum Medicinæ aut Chirurgiæ exercitium apud Exteros clarorum exemplo Virorum addiſcendum, — vel demum ob univerſæ doctrinam ſcientiæ ſuſcipiuntur itinera. Quemcunque vero in finem proficiſcamur; primus certe eſt, ut eorum, quæ partis, aut totius complexum attinent, fundamentis non deſtituti, hoc opus aggrediamur; ac ne, quæ proprios ante fores planta creſcit; hanc apud *Indos* primum examinare, ac tempus, quod majoris apud Exteros dignitatis rebus impendendum hoc, eſt: communi ac ipſa in patria abſolvendo ſtudio terere contendamus. Virum igitur ſcientiæ, ob quam peregrinos petiturus eſt, non jejunum, ſed talem peregrinari oportet: qui, cum ab Exteris hoſpitaliter ſuſcipitur; his, non *tironem* proti-

nus, ſed verſatum in artis principiis, ac præparatum ad majora hominem in ſe ipſo commendet. Quod ad illas Medicinæ partes ſpectat, quæ ſolo fere ſenſuum externorum exercitio ab adoleſcente ingenioſo non minus, quam diſcendi avido, hauriri queunt; hæ quidem viridiorem quodammodo ætatem non penitus excludere cenſentur, ac bonam Exterorum de advenæ eruditione opinionem non illico ſuſpendunt; ſed qui ad contemplandas morborum ac rationis medendi apud Exteros diverſitates finibus ſuis emigrant; hi, niſi jam aliquam vitæ ſuæ partem obſervationibus & experientiæ paullo maturiores dicaverint; illorum vix attentionem in ſe ipſos excitant, ac tam brevi apud eoſdem commoratione, gravioris myſteria ſcientiæ obiter nimis perſtringere videntur: quam ut exiſtimatione, fiducia, amicitia Virorum, quos propius ſtuduiſſe, ac intimiori conſortio tractaſſe intereſſet, tam cito potiantur. Hoc ex fonte tot peregrinantium de minori Exterorum urbanitate ac in peregrinos hoſpitalitate querelæ, tot præmatura & injurioſa de hominibus prætereundo, ac primo vix e limine ſalutatis judicia, tot falſæ de rebus apud Exteros non niſi obiter conſpectis relationes, ac tam ſiniſtri doctarum peregrinationum eventus deriven-

tur oportet. Nec partis, quam apud alios ex-colendam nobis aſſumimus, generalem habere notitiam ſufficit; ſed quid potiores, quam adimus, nationis Scriptores circa hanc, vel illam cogitaverint, dixerintque materiam, & quæ tandem novæ inventionis ad ipſos ſpectent merita, hæc non ignorare, ſed propriæ artis, ut ita dicam, geographicam poſſidere chartam oportet. Eſt nempe non exiguæ apud literatos Viros in advenam exiſtimationi locus: cum eundem in arte, quam perfectius doceri ambit, non peregrinum eſſe advertunt, & cur hic idem apud Exteros verſetur, & quam denique rebus ab illarum induſtria detectis auctoritatem concedat, ex præviis pertractandæ materiæ cognitionibus teſtimonium mox eluceat. Deſiderandum hinc eſſet, ut Principes ac Magiſtratus, qui, nobiliſſimo æque ac utiliſſimo argumento inducti, ad majora ſcientiarum apud ſuos incrementa theſauros collocant, ad ætatem non minus maturiorem, quam ad acutioris ingenii rationem, ac jam perſpecta ſatis ſcientiæ, quæ ſcopum peregrinationis conſtituit, principia reſpicerent, juveneſque magis viros, quam teneriores ac balbutientes adhuc adoleſcentulos, tam gravi, tamque ſumtuoſo operi deſtinarent. Sed neque virilis ætas, ne-

que major ad ſcientias diſpoſitio; neque ſola tandem in rebus medicis eruditio peregrinabundis proderunt; niſi ad linguarum ſimul, quibus facilior cum adeundis populis communicatio innititur, cognitionem mature transferatur ingenium. *Latini* quidem, *gallicique* idiomatis ſat extenſus apud omnes habetur uſus, ac non parva in addiſcendis tam probe variorum linguis, nec fere niſi apud hos ipſos ſuperanda difficultas manet: ſed tam inſignis hinc inde latinæ dictionis diverſitas obſervatur, tamque commune eſt, potiorem vernaculo ſermoni locum apud omnes concedi: ut qui intimiori cum Exteris ſcientiarum velit necti commercio; oporteat hunc confabulantium auribus non peregrino fieri gravem, ſed aſſueto his ipſis ſermone blandiri, ac majorem enunciationis inconditæ, quam incommodi colloquii indulgentiam exſpectare. Nullus vero eorum, qui ſine literis aut celeberioris, aut conſpicuæ apud Exteros venerationis Viri commendatitiis, peregrinas pervagari provincias contendit, tam facilem in his, quam inſtituti ratio itineris poſtularet, aditum exſpectabit; nec in magno peregrinantium numero deſunt, qui, poſtquam ſingulari ab humaniſſimis viris affabilitate peregrini licet homines, amicorum tamen nume-

ro ſe tam benigne adſcriptos vidiſſent; hoſpitalitatis ac beneficiorum immemores, pro his ipſis, calumnias, ac ingratæ mentis teſtimonium abſentes dederunt. Magnæ igitur cuivis quidem peregrinanti, ſed inprimis *medico*, neceſſitatis eſt propriæ honeſtatis ac diſciplinæ a bonis literatiſque Viris apud Exteros commendatio; & modo dolendum eſt, hanc ipſam non raro ignotis adeo hominibus, cum inſigni bonorum detrimento, ſine diſcrimine a multis concedi.

Peregrinantium non pauci, tam celeri rapidoque motu *ignotas ſibi provincias* pervagantur: ut *curſores publici* magis, quam rerum apud Exteros obſervandarum attenti Spectatoris officio fungi videantur; utque vel ex hac ſola rerum graviſſimarum tam feſtina pertractatione ſatis compareat, peregrinantis ſe titulum magis, quam ſcientiæ apud Exteros myſteria ambire. Oportet igitur, inito prius cum Viris expertis ac prudentibus conſilio, pro vario, quem itineri doctrinæ gratia ſuſcipiendo proponimus, fine, nunc hanc magis, nunc illam, inter cæteras, provinciam, — in iſta vero hunc potius, præ illo, locum, quo plura nos rerum diſcendarum momenta illinc exſpectant, adire atque tempore, quo hæc rectius abſolvi queant,

ſat longo apud Exteros commorari. Eſt quidem & hic doctæ peregrinationis non ignobilis ſcopus: ut quo in ſtatu apud quamvis nationem ſcientiæ verſantur, quibus illinc ſubſidiis, quo legum ordine, & quo demum ſucceſſu colantur, perſpiciamus; ac ſcientiarum quaſi artiumque per Europam diſperſarum geographiæ ſtudeamus; aſt, non juvenilis hæc ætatis, ſed Viri, ſingulorum, quæ ad ſcientiarum diſciplinam pertinent, edocti opus ſiſtunt; nec imberbis in re tam ardua judicis ſententiam expectamus. Sub tam vaſto ſcilicet peregrinationis, utinam a pluribus maturi judicii Viris ſuſceptæ, fine, non unius modo ſcientiæ ſalutaris rami, ſed ſingulorum, quæ *publicæ ſanitatis* momenta concernant, attenta conſideratio utiliſſimi objectum laboris conſtituit. Huc etenim locorum, montium, vallium, ventorum, caloris, frigoriſque medii ratio, huc athmoſphæræ, habitationum, veſtimentorum, ciborum, aquarum, fontium, thermarum conditio; huc vivendi modus, incolarum habitus, virtutes, ac vitia, ſuperſtitiones ſanitati civium contrariæ, ludi gymnaſtici, ſpectacula, delectationum publicarum genera; huc educationis phyſicæ, moralis methodus, morborum endemicorum, vulgarium aut epidemicorum frequentius domi-

nantium natura; huc matrimoniorum, fertilitatis, ætatis mediæ, mortalitatis deſignatio; huc legum, ſecuritatis, ſanitatis publicæ gratia, latarum conſtitutio; Collegiorum Medicorum, Chirurgicorum, Pharmaceuticorum, Academiarum, Societatum doctarum, Muſeorum inſtituta; — huc Valetudinariorum, Noſocomiorum, Orphanotrophiorum, Ergaſtulorum, Carcerumque ordinatio; huc demum ſingulorum, quæ artem ipſam, ac celebriorum Medicorum inventa & medendi methodum, nec non ipſa populorum remedia empyrica concernunt, revocari debent.

Nemo vero non videt, tantarum rerum apud Exteros contemplationem nonniſi longiori, intimoque cum iiſdem commercio, ac a Viro tantum his in rebus minime novitio poſſe rectius inſtitui. Qui vero unius modo ſcientiæ rami apud Exteros colendi deſiderio allectus brevioris moræ peregrinationem inſtituit; oportet eum animo in hunc fere ſolum confixo, nec in aliena nimis divagante, quo ſcilicet loco potiſſima eſt rerum occaſio, propoſito peregrinationis ſcopo ſatisfacere. Hinc, qui medendi methodum Exterorum intueri, ac celebriorum exemplo Virorum erudiri deſiderant: hos non paucarum modo dierum apud iſtos com-

moratio, ſed in menſes protracta decent ſtudia: quæ maxime in ſingulorum, quæ oculis ſubjiciuntur, examine, ac quotidiana rerum conſpectarum adnotatione ſeu fideli *diario*, quo recipiuntur, ordine, collocanda ſunt. Proprius fere *germanis*, qui doctis peregrinationibus præ aliis fere gentibus indulgent, uſus eſt, ut Amicorum, ac Virorum, quorum conſortio ac beneficiis peregrinantes uſi ſunt, nomina peculiari, quem *amicitiæ* vocant, *libello* ab iiſdem inſcribi cupiant: quo quidem in hominum celebriorum ac ſibi benevolentium regiſtro, gratitudinis perpetuæ, ac jucundæ recordationis quamplurima conſervatur occaſio; interim nec oſtentationis ac vanitatis apud omnes deſunt in his indicia; & ſæpe nimis, qui *rerum* ſibi proficuarum memoria nil complexi ſunt; hi amplo literatorum, vix prætereundo ſalutatorum catalogo gloriantur. Talem vero ſe Exteris advenam, tum morum ſuavitate, tum doctrinæ melioris aviditate, indefeſſa diligentia, animique gratitudine oſtendere oportet: ut brevi temporis intervallo non amoris modo ac benevolentiæ, ſed & intimæ particeps reddatur fiduciæ: quo demum inſtructus beneficio, ſingulorum, quæ ad artem faciunt, & quæ experientia magis, quam ratiocinio nituntur, mentionem

inire, obſervationum in graviorum cura morborum inſtitutarum theſauros colligere, ac peregrini effata oraculi alta mente reponere oportet. Maxime vero peregrinantibus cavendum eſt, ne vigentis inter unius ejuſdemque nationis aut urbis Eruditos contentionis partem in ſe ſumant, ſed circumſpecto de abſentibus judicio, omnium ſibi animos concilient, & fructus ex quovis arbore, quos poſſunt, optimos ac ſibi proficuos, gratitudine æquali ac prudenti cautaque manu decerpant.

Cœtera, quæ ex bonæ educationis, ſoliuſque prudentiæ principiis petuntur, Medicorum peregrinantium officia, ne longioris quemdam tædio ſermonis afficiam, hic lubens prætereo, ac ad VOS me converto &c.

Finis Undecimi Voluminis.

ELENCHUS.

I.) *Io. Petr.* FRANK *Oratio academica de vertebralis columnae in morbis dignitate.* pag. 1

II.) *Sim.* HERZ *Obſerv. quaedam de febribus nervoſis.* 55

III.) *Eiuſdem - - - - - - - - De febre lenta maligna, vel nervoſa.* 83

IV.) *Frid. Chriſtoph* OETINGER *Diſſ. de lapſu palpebrae ſuperioris.* 202

V.) *Frid. Aug.* MEYER *Comment. de ozcena.* 249

VI.) *Lebr. Frid. Beniamin.* LENTINI *Diſſertatio de Aphthis.* 273

VII.) *Frider. Guilielmi* KULHENTHAL *Diſſert. inauguralis medica de Sterilitate foeminarum.* 299

VIII.) *Io. Petr.* FRANK *Oratio Academica de medicis peregrinationibus.* 359

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

0056423322

Digitized by Google